



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117867**

Liber XLVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

CULTUS IMAGINUM RESTITUTUS.



# HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XLVI.

~~~~~  
S. LEO III. PAPA.  
CAROLUS MAGNUS IMPERATOR OCCID.  
LEO ARMENUS.

§. I.

*Tractatus de Baptismo.*

**C**aroli Imperatoris Epistola Ency- Sæculum IX.  
clica de Baptismo ad Archiepis- A. C. 813.  
copos Regni sui scripta aliqui-  
bus ansam dedit Dissertationes de hoc  
*Hist. Eccles. Tom. XI.* A Sacra- Sup. Lib.  
XLV. §. 50.



Sæculum IX. Sacramento concinnandi; in hunc enim  
A. C. 813. finem Imperator hujusmodi Quæstiones  
 moverat, nimirum non tam propriæ Do-  
 ctrinæ causa, quam ut Episcopi scrutan-  
 do discerent, & deinde populos erudi-  
 rent. Hoc de Caroli mente Theodulfi  
 Episcopi Aurelianensis judicium fuit di-  
*Theod. præf.* centis: *Magnus profecto Princeps Anti-*  
*stites ad studium sacrarum Scripturarum,*  
*Clericos ad servandam Disciplinam, Mo-*  
*nachos ad amorem Regulæ, Optimates ad*  
*suggerenda Principi salutaria consilia,*  
*Judices ad colendam justitiam, Præposi-*  
*tos ad humilitatem, subditos ad obedi-*  
*tiam, omnes ad virtutem & concordiam*  
*hortari & excitare nunquam cessat.*

Tractatus hujusmodi quatuor habe-  
 mus, qui veluti totidem responsa ad Im-  
 peratoris Epistolam fuere. Primus est  
*Mabill. to 3.* opus Leidradi Archiepiscopi Lugdunen-  
*Analect. init.* sis, quod cum ad manus Caroli Impera-  
 toris pervenisset, dixit, Auctorem in ex-  
 plicatione renunciationum, quæ Baptis-  
 mum præcedunt, nimis brevem fuisse.

*ibid. p. 30.* Ergo Leidradus addidit de eadem mate-  
 ria responsum peculiare, quod majore  
 quam prius diligentia scriptum videtur.

Secundus de Baptismo Tractatus illo  
*ap. Alcuin.* tempore compositus inter Opera Alcu-  
*p. 1151.* ni reperitur, sed est Amalarii Archiepis-  
 copi Trevirensis, sive is Alcuinum roga-  
 vit, ut suo nomine scriberet, sive per  
 errorem



errorem factum, ut Alcuino tribueretur. Sæculum IX.  
A. C. 813.  
 Tractatus tertius est Theodulfi Episcopi Aurelianensis ad Magnum Archiepiscopum Senonensem ipsius Metropolitanam directus, a quo rogatus fuerat, ut suo nomine ad Epistolam Imperatoris responderet. In aliis exemplaribus idem Theodulfi Tractatus dirigitur ad Joannem Archiepiscopum Arelatensem, quod forte etiam ab eo, ut scriberet, rogatus fuerit. Tractatus quartus de Baptismo est Jessei Episcopi Ambianensis, viri illa ætate percelebris; nam quamvis hoc opus ad Presbyteros suæ Diocesis direxerit, æqualitas tamen materiæ indicat, ipsum ex eadem causa ac ceteros calammum strinxisse. In his Tractatibus v. Not. Sirm.  
ad Theod. explicantur Catechumenorum status, Bibl. PP.  
Lug. to. 14.  
p. 67. Scritinia, Symbolum, Renunciationes, Exorcismi, Insufflatio, Sal, cur naribus & auribus infantis Salivam Sacerdos admoveat, v. Coint. n.  
812. n. 71.  
Etc. Unctiones, Vestis candida, & Communicatio, quæ statim post Baptismum etiam infantibus præbebatur. Clare distinguitur Unctio S. Chrismatis in capite, quam dat Presbyter, estque Cæremonia Baptismi, ab Unctione in fronte ad communicandum Spiritum Sanctum, quam dare Episcopo competit, & ad Sacramentum Confirmationis pertinet.



Sæculum IX.  
A. C. 813.

§. II.

*Concilium Arelatense.*

*Ann. Loisel.* Anno octingentesimo decimo tertio, Caroli Imperatoris ultimo, Comitibus Aquisgrani coactis, iussit, ut quinque Concilia in præcipuis Regni sui Ecclesiis Metropolitanis, nimirum Moguntia, Rhemis, Turone, Arelate, & Cabilloni ad Ararim pro Lugdunensi Provincia celebrarentur, sibi que, quæ decreta fuissent, referrentur. Hæc Concilia igitur habita sunt in æstate illius anni, & talia fuere statuta, quæ Quæstionibus ante biennium ad Episcopos missis congruunt. Unde sufficiens temporis spatium ad ea, quæ dicerent, digerenda habuerant.

*Sup. Lib.  
XLV. §. 51.*

*to. 7. Conc.  
p. 1231.*

Ex his Conciliis primum, ut dies apposta indicat, est Arelatense, quod inter Concilia hujus Civitatis sextum habetur. Celebratum est autem anno imperantis Caroli in Francia quadragesimo quinto, Æra Hispanica 851. nempe anno 813. decima Maji, in Ecclesia S. Stephani. Præfuere Joannes Archiepiscopus, & Nebridius Narbonensis, qui præter Titulum Dignitatis suæ Archiepiscopalis Legatos Principis se dicunt. Prima die nihil aliud actum, quam quod decreverint, Missas & preces pro Imperatore, quoad viveret, & pro ejus familia esse offerendas. Altera die promulgati



gati fuere viginti sex Canones, quorum primus Professio Fidei est in compendium contracta. In secundo præcipitur, ut omnes Clerici pro Rege Carolo orent. Et deinde, ut quilibet Archiepiscopus suos Suffraganeos moneat, ipsorum esse Presbyteros & populum in Baptismo, & omnibus Fidei Mysteriis erudire. Episcopi, dicit Sacra Synodus, in Sacra Scriptura versati sint & in scientia Canonum, nec alia re nisi prædicatione & instructione populi occupentur. Presbyteri etiam in Parochiis ruralibus concionentur. Parentes liberos suos doceant, & Patrini illos quos e sacro fonte levarunt. Quilibet Episcopus singulis annis Diœcesim suam visitet, & pauperes oppressos tueatur. Si iudices & viri potentes Admonitiones Episcopi contemnant, eorum contumacia ad Regis aures deferatur. Totus populus atque etiam Comites & Iudices Episcopo obediant, junctaque opera justitiam & pacem confervent.

Episcopi magna cura erudiant Presbyteros (nempe Parochos) quos ad Parochias administrandas ordinabunt, & Laici (id est Patroni) non accipiant munera pro collatione illarum Ecclesiarum, nec possint Presbyteros ejicere, & alios advocare sine iudicio Episcoporum, quibus hi Presbyteri vitæ morumque suo-

Sæculum IX.  
A.C. 813.

Rem. c. 40.

Arel. c. 3.

Rem. c. 14. 15

c. 10. Arel.

c. 19.

c. 17.

c. 12. 13.

Conc. Cabil.

c. 20.

Arel. c. 4. 5.



6 HISTOR. ECCLESIAST. LIBER XLVI.

Sæculum IX. rum rationem reddere tenentur. Pres-  
A.C. 813. byteri Sacrum Chrisma fervent Sigillo  
c. 18. munitum, nec illud cuiquam medicinæ  
Tur. c. 20. loco vel sub quocunque alio prætextu  
 communicent. Erant enim non nulli  
 insana superstitione imbuti, facinoris  
 reos, si Chrismate uncti fuissent, vel pau-  
 culas guttulas potioni mixtas sumpsis-  
 sent, nunquam a lictoribus capi posse.  
 Quod ex Concilio Turonensi discimus.

Rhem. c. 20. Decimæ & Ecclesiarum Bona confer-  
38. ventur, & qui ejusmodi in Beneficium  
 (id est in Usufructum) possident, de  
c. 16. 22. suo ad sarta tecta conferant. Nundinæ  
Rhem. aut jurgia forensia in propilæis Ecclesia-  
 rum aut Diebus Dominicis prohibean-  
 tur.

c. 6. Episcopis curæ sit, ut tam Canonici  
 quam Monachi secundum suum Institu-  
Rhem. 25. tum mores componant. In Monasteriis  
Ar. c. 8. Canonorum (\*) & Monachorum aut  
 Monia-

---

(\*) Totus Canon VIII. in editione Paris.  
 1714. sic sonat: *Ut non amplius suscipiantur  
 in Monasterio Canonorum atque Monacho-  
 rum, seu etiam Puellarum nisi quantum ratio  
 permittit, Et in eodem Monasterio absque ne-  
 cessariarum rerum penuria degere possunt.* An  
 Clerici in his Monasteriis Canonorum, de qui-  
 bus his sermo, fuerint alii & distincti a Clericis  
 ceteris Ecclesiæ Cathedrali servientibus, vel an  
 quan-



Monialium plures non suscipiantur, quam Sæculum IX.  
 Domus illa commode alere possit. Mo- A. C. 813.  
 nasteria puellarum ad Officium Divinum Rhe. 12.  
 necessario peragendum nemo intret nisi Ar. 7.  
 exploratæ pietatis viri & ætate graves.  
 Qui ad celebrandam Missam ingressi fue-  
 rint, illa finita sine mora abeant. Qui c. 26.  
 criminis publici convicti fuerint, pœni-  
 tentiam publicam secundum Canones a-  
 gant.

Fame, vel alia calamitate premente, Rh. 31.  
 alimentis illorum, qui ad ipsum perti- Ar. 14.  
 nent, quilibet, ut potuerit provideat.  
 Viri potentes Bona pauperum non nisi c. 23.  
 publice Comitibus & civium præcipuis  
 præsentibus emant. Hi Canones Con-  
 cillii Arelatensis præ cæteris notatu di-  
 gni mihi visi sunt, cumque reliqua qua-  
 tuor eandem pertractent materiam, ea  
 solum afferam, quæ singularia sunt.

§. III.

*Concilium Rhemense.*

Concilium Rhemense eodem anno in  
 medio mensis Maji anno octingente-  
 simo decimo tertio congregatum, Wul-  
 fario Archiepiscopo præside. Post jeju- to. 7. p. 1253.  
 A 4 nium,

---

quandoque vel semper Congregatio Clerico-  
 rum Cathedralium dicta fuerit Monasterium Ca-  
 nonicorum, hic ego dubitare, sed affirmare al-  
 terutrum non possum.



Sæculum IX. A. C. 813.                       
                     nium, ut mos ferebat, triduanum qua-  
                     draginta quatuor Canones editi, quos  
inter memorabiliores sunt sequentes.  
*c. 3.* Quilibet Clericorum Ordinis sui fun-  
*c. 4.* ctiones discat. Istud ut facilius caperent,  
in Concilio lectæ sunt S. Pauli Epistolæ,  
*c. 5.* & Subdiaconis præceptum, ut deinceps  
hoc modo legerent. Ad informandos  
*c. 6. 7.* Diaconos lectum est Evangelium, atque  
*c. 8.* ad erudiendos Presbyteros examinatus  
*c. 9. 10.* est Ordo Missæ & Baptismi. Canones  
prælecti sunt Canonicis, Pastoribus liber  
Pastoralis S. Gregorii, & multa Patrum  
effata.

*c. 11. 12. 16.* Ordo Pœnitentiæ quoque ad examen  
vocatus est, quo Presbyteri modum ex-  
cipiendi Confessiones & pœnitentiam  
injungendi cognoscerent. Præcipitur,  
ut discernantur illi, quibus publica &  
quibus secreta pœnitentia (\*) injungen-  
*c. 31. c. 17. 18.* da. Episcopi Abbates & Ecclesiæ Mini-  
*c. 5. 6. 7. 8.* stri non splendide epulentur, nec patian-  
tur, ut ipsis præsentibus exhibeantur lu-  
dicra, quæ honeste haud conspiciantur.  
Sed pauperes mensæ suæ adhibeant, &  
S. Scripturam legi jubeant. Presbyteri  
a minore Beneficio ad pinguius non trans-  
eant. Monachi Conventus sæculares  
&

(\*) Sequitur ex pœnitentia secreto data, quod  
etiam secreto confessi fuerint, & contra Prote-  
stantes usus Confessionis auricularis probatur.



& forenses non adeant. Nemo pro ad-  
 ministracione Justitiæ munera accipiat. Sæculum IX.  
 A.C. 813.

## §. IV.

*Concilium Moguntinum.*

Concilium Moguntinum nona Junii eodem anno octingentesimo decimo tertio in Claustro S. Albani celebratum. Præsides fuere, & etiam Titulum Legatorum Principis assumpserunt, Hildebal- dus, qui se Archiepiscopum Palatii dicebat, quia erat Archiepiscopus Colonien- sis & Archicapellanus, Riculfo Archiepiscopus Moguntinus, Arno Archiepiscopus Salisburgensis, & Bernarius Episcopus Wormatiensis. Universim Episcopi triginta, Abbates viginti quinque, multi Laici Comites, Judicesque aderant. Tota Congregatio in tres ordines divisa. Primo ordine sedebant Episcopi cum aliquot Notariis legentes Evangelium, & reliqua novi Testamen- ti, Canones, & varia Patrum opera, atque inter alia Librum Pastoralem S. Gregorii, ut modum conservandæ Disciplinae Ecclesiasticæ invenirent. In secundo Ordine sedebant Abbates & Monachi delecti, legentes Regulam S. Benedicti, & quærentes rationem vitam Monachorum emendandi. Tertio confidebant Comites & Judices de Legibus Civilibus disputantes, & omnibus petentibus

A 5

jus



Sæculum IX. *A. C. 813.* jus dicentes. In hoc Concilio editi sunt  
*Can. 4. Leo* Canones quinquaginta quinque, & cla-  
*ep. 16. al. 4.* rius quam in ceteris ad Quæstiones ab  
*ep. 136. al. 80* Imperatore propositas respondetur. Ba-  
*Sup. Lib.* ptismus ubicunque secundum Ordinem  
*XXVII. §. 2* Romanum conferatur. Decreta S. Leo-  
*L. XXXIX.* nis Papæ observentur, præsertim ne ex-  
*§. 15. c. 45.* tra tempus Paschæ & Pentecostes Ba-  
*Rhem. c. 1. 2.* ptismus administretur. Presbyteri Fi-  
 deles assidue admoneant, ut Symbolum  
 & Orationem Dominicam discant. Ne-  
 gligentibus jejunia vel aliam pœniten-  
 tiam injungant. In hunc finem etiam  
 parentes liberos suos ad Scholas seu Mo-  
 nasteriorum seu Presbyterorum mittant,  
 ut Fidei suæ Articulos discant, & alios  
 deinde domi doceant. Qui in alia non  
 possunt, Symbolum in lingua vernacula  
 addiscant. Patrini eandem curam filio-  
 rum suorum Spiritualium gerant. Si E-  
 piscopus absit, vel ægrotet, semper ta-  
 men aliquis sit, qui Diebus Dominicis &  
 Festis pro captu populi concionetur. Er-  
 go præsumit Synodus, nullo obstante im-  
 pedimento ipsius Episcopi fuisse ad po-  
 pulum dicere.

*c. 47.*  
*c. 25.*  
*c. 23.* Nemini exinde Tonsura Clericalis  
 conferatur, nisi sit legitima ætate, libere  
 velit, & Dominus ejus consentiat. Quod  
 de Servis intelligendum. Episcopi ac-  
 curate inquirent, unde sint Presbyteri &  
 Clerici in sua Diœcesi existentes, & fu-  
 gitivos

*c. 31. Tur.*  
*c. 13. Arel.*  
*c. 24.*



gitivos ad suos Episcopos remittant. Cle-  
 ricos vero Acephalos, qui nec Principi  
 serviunt, nec sub Episcopo vel Abbate  
 sunt, sed vagi sine Præposito, continuo  
 dari custodiæ jubeant. Si obedire con-  
 temperint, excommunicent eos, & si  
 non emendentur, in carcerem mittan-  
 tur, usque dum in aliquo Concilio de  
 causa eorum decernatur. Sacerdos so-  
 lus Missam non celebret. Quomodo e-  
 nim dicat: Dominus vobiscum, & cete-  
 ra, quæ ad plures assistentes diriguntur?  
 Moneatur populus, quando proceden-  
 dum sit ad oblationes, & ad recipien-  
 dam pacem. Dies festi serventur se-  
 quentes: Dies Paschæ cum tota Hebdo-  
 mada, Ascensio, Pentecostes eodem ri-  
 tu ac Pascha, SS. Petri & Pauli, S. Joan-  
 nis Baptistæ, Assumptio S. Virginis, S. Mi-  
 chaelis, S. Remigii, S. Martini, S. Andreæ,  
 in Nativitate Domini dies quatuor, octa-  
 va Natalis, id est, Circumcisio, Epipha-  
 nia, Purificatio S. Virginis, dies Marty-  
 ribus Sacri & Confessoribus, quorum Re-  
 liquiæ in qualibet Diocesi asservantur,  
 & Dedicatio Ecclesiæ. Jejunium qua-  
 tuor temporum servetur. Qui jejunia  
 præcepta contempserit excommunica-  
 tur. Litanæ Majores per triduum (id  
 est Rogationes) serventur, procedent  
 autem nudis pedibus cinere & cilicio te-  
 cti.

Sæculum IX.  
A. C. 813.

c. 22.

c. 43.

c. 44.

c. 36.

Canones  
Concili  
Moguntini.

c. 34. Tur.

c. 47. c. 35.

c. 33.

c. 46.

or. p. 3



Sæculum XI. cti. Ebriofî excommunicentur usque  
 A. C. 813. dum vitium emendaverint.

c. 17.

Clerici, qui Sæculum reliquerunt, arma non habeant, nisi Spiritualia, sed Laici qui apud Clericos sunt pro more veteri armati incedant. Nempe eorum

c. 14.

Servi domestici & Emphiteutæ. Ministri Altaris & Monachi negotiis Sæcularibus nullatenus implicentur, in foro Sæculari causam non dicant, nisi forte ut ibi orphanos aut viduas defendant, non gerant officium œconomi aut Mandatarii, non sint joculariores, non ament

R. c. 30.

aleas, gulam & ebrietatem, non vanum ornatum, non sequantur canes aut aves in venatione, denique carnis desideria non expleant. Non tamen prohibentur rei domesticæ ut justum est curam gerere. Episcopi & Abbates Vicedominos, Præpositos, Advocatos seu Defensores sibi deligant viros pios, fideles, justos, mites, non avaritiæ deditos. Horum

R. c. 24.

c. 50.

c. 28.

Susp. Lib.

XXXVIII.

§. 16.

c. 51.

nempe opera ad curanda sæcularia utentur. Presbyteri Orarium seu Stolum in signum Sacerdotii semper gestent. Facinorosi ex Ecclesiis non rapiantur, ut ducantur ad supplicium, multam vero pecuniariam ob crimina sua præstent. Sanctorum Corpora sine licentia Principis vel Concilii non transferantur. Canonici secundum Canones vitam degant, in uno loco manducent, &

c. 9. 10.

dor-



dormiant, sine mandato Episcopi aut Magistri nihil agant. Litteras discant & Psalmodiam, & idoneos se reddant ad docendos populos. Abbates cum suis Monachis secundum Regulam S. Benedicti vitam instituant, *quod illi, ajunt Patres, qui huic Concilio præsentes fuere, nobis promiserunt.* Delegati a Principe cum Episcopo Diocesano Monasteriorum situm considerabunt, an in tali loco sint, ubi omnia sibi necessaria invenire possint, ne foras egredi opus sit. Episcopi illos, qui in Monasteriis sunt, eligere jubeant, an Monachorum vel Canonico-  
rum vitam amplecti velint. Ita etiam Moniales in ea quam elegerint professione perseverent. *Illis, dicunt Patres, qui moturi sunt quevelas, quod per donationes dolose suggestas patrum suorum hæreditate privati fuerint, quantum in nobis erit, auxilium feremus.*

c. 11.

c. 20.

c. 21.

c. 13.

c. 6.

## §. V.

*Concilium Cabilonense.*

Patres Concilii Cabilonensis ad Ararim, *to. 7. p. 1272.*  
ex tota Gallia Lugdunensi, excepta Provincia Turonensi, hi enim in alio loco suum Cœtum celebrarunt, congregati, sexaginta sex ediderunt Canones, ex quibus notatu digniores sunt sequentes: Episcopi, mandatis Imperatoris obediētes erigant Scholas, in quibus Clerici



- Sæculum IX. rici artes liberales & Sacras Scripturas  
A. C. 813. doceantur, ut idonei fiant ad erudien-  
 dum populum. Episcopi ab ordinandis  
 non exigant juramentum, quo affirment  
 se dignos esse, Canones observaturos, &  
 Episcopo, a quo ordinantur, obedientes  
 futuros, quia periculum adest perjurii.
- c. 43. Sunt in aliquibus Locis Scoti, qui se E-  
 piscopos dicunt, & ordinant Presbyte-  
 ros atque Diaconos sine licentia Domi-  
 norum vel Præpositorum suorum, *bas*  
*Ordinationes, inquit Patres, nullas es-*  
*se declaramus, quia contra Canones*  
*fiunt, & plerumque Simoniacæ sunt.*
- c. 16. Episcopi, cum Diœceses suas visitant, non  
 modo illicite nihil exigant, sed caveant,  
 ne oneri sint, & nihil faciant, quod scan-  
 dalo esse posset. Pro balsamo, ex quo  
 S. Chrisma conficitur, pro cereis, pro  
 Dedicacione Ecclesiarum, aut pro Ordi-  
 nationibus nihil petant. Annum cen-  
 sum a Presbyteris non exigant, nec mul-  
 ctam petant ab incestis, ab illis, qui de-  
 cimas non dant, aut a Presbyteris ne-  
 gligentibus, quod aliqui, cum Comiti-  
 bus consentientes, faciunt. Archidia-  
 cono Dominatum in Parochos non exer-  
 ceant, nec censum ab ipsis exigant.
- c. 18. Confirmatio tam parum quam Baptis-  
 mus iteretur. Communio non longo  
 tempore differenda est, nec etiam indi-  
 gne accedendum, sed prius per aliquot  
 dies
- c. 27.
- c. 46.



dies ab operibus carnis abstinendum, ut Christianus communicans corpore & anima mundus sit. Omnes Fideles in Cœna Domini communicent, cum in illa die etiam Pœnitentes reconciliari soleant, ut communicare possint. Unctio ægrotorum non contemnatur, quæ est Remedium corporis & animæ. Cum in plerisque locis usus pœnitentiæ secundum veteres Canones fuerit abolitus, implorandum est Imperatoris auxilium, ut peccatores publici ad agendam pœnitentiam publicam compellantur, atque secundum Canones excommunicentur & reconcilientur.

Sæculum IX.

A. C. 813.

c. 47.

c. 48.

Aliqui non plene confitentur. Hi monendi sunt, ut tam peccata cogitationum, quam peccata externa confiteantur. Non solum Deo peccata sua confiteri oportet, sed etiam Sacerdotibus, & caveant imprimis Sacerdotes, ne in hoc iudicio vel gratia vel odio moveantur.

Confessio

peccatorum.

c. 32.

c. 33.

c. 34.

Multi in pœnitentia non tam Remissionem peccatorum, (\*) quam temporis

c. 35.

ris

(\*) Hier sehen wir, daß man in der rechtglaubigen Kirche nicht nur allein die sündliche Werke, sondern auch die Gedanken gebeichtet, daß es nicht genug gewesen, solche Gott zu beichten, wie die Predicanten thun, sondern daß man dem  
Priester



Sæculum IX. ris expletionem expectant, & si eis car-  
A. C. 813. nis & vini usus interdicator, alium po-  
 tum & alios cibos his deliciores quæ-  
 runt. Vere pœnitens se omnibus cor-  
 poris voluptatibus privat.

t. 36.

Quidam ex industria peccant, elee-  
 mosynis deinde sua peccata deleturi.  
 Chri-

Priester beichten soll, und daß die wesentliche Ab-  
 sicht in der Buß, die Nachlassung der Sünden  
 von Gott zu erhalten gewesen sey. So wird  
 auch diese Lehre in der Kirchenversammlung nicht  
 als neu, sondern als eine in der Kirchen ange-  
 nommene Lehre vorgetragen. Wie hält's nun um die  
 Gottesgelehrtheit unsers Lutherischen Uebersetzers,  
 nach welcher die Buß nicht auf eine Genugthuung  
 gegen Gott, sondern nur gegen der Gemeinde  
 abzielet? Er würde sich mit der Antwort behel-  
 fen wollen: Zu dieser Zeit hatte schon das  
 Verderben in der Kirche überhand ge-  
 nommen. Aber wenn dieses wahr ist, wo war  
 denn zu dieser Zeit, das ist im achten und neun-  
 ten Jahrhundert die wahre Kirche Christi? Wo  
 war sein Versprechen: *Et portæ inferi non præva-  
 lebunt* &c. Matth. XVI. Was unser Uebersetzer  
 auf diese Frage antworten würde, weiß ich nicht,  
 allein der Herr Lorenz Mosheim hilft sich kurz  
 aus der Noth und saget, wie wir schon einmal  
 gehöret, dieses sey eine Frage, welche nur ein un-  
 sinniger Mensch an die Herren Protestanten stel-  
 len könne. So wohl, Herr Kanzler! das ist eine  
 Prächtige Antwort, wenn man sonst nichts erträg-  
 liches zu sagen hat, um sich die Leute dennoch vom  
 Halse zu schaffen.



Christiano non licet ideo peccare, ut eleemosinam faciat, sed ideo danda est eleemosina, quia peccavit. Porro Pœnitentia injungatur secundum Scripturam & consuetudinem Ecclesiæ, repudiatis & penitus eliminatis libellis, quos Pœnitentiales vocant; horum enim tam certi errores sunt, quam incerti Auctores, qui peccatoribus adulantur, dum pro peccatis gravibus leves & inusitatas pœnitentias imponunt. Hoc Concilium explicatur a Concilio Turonensi, quod Libros Pœnitentiales non simpliciter rejicit, sed putat ab omnibus Episcopis, postquam in Palatio congregati fuerint, indicandum esse, quem ex Libris antiquis pœnitentialibus, missis ceteris, sequi oporteat.

Præterea in Concilio Cabilonensi legitur: Quod spectat ad peregrinationes, quæ Romam, Turonem & in alia loca suscipiuntur, multi abusus irrepererunt. Nam aliqui Presbyteri & Clerici putant, se ejusmodi profectioe a peccatis suis liberari, atque in ordinem suum esse restituendos. Laici impunitatem peccatorum suorum vel commissorum, vel futurorum perperam sperant. Inde putant potentes sibi licere a pauperibus subditis tributa exigere, & pauperes peregrinantes mendicare non erubescunt. Nos vero, ajunt Patres, *illos peregrinantes*

*Hist. Eccles. Tom. XI.*

B

tes

Sæculum IX.  
A. C. 813.

c. 38.

Conc. Tur.

c. 22.

c. 45.



Sæculum IX. *tes laude dignos existimamus, qui Pœnitentiam ex Presbyteri consilio impleturi, suæ peregrinationi orationem, eleemosinas & emendationem morum suorum conjungunt.* Notatu dignum, quod tunc temporis ad limina S. Petri Romæ & ad Sepulchrum S. Martini Turone frequentissimæ peregrinationes fierent.

Canones  
Concilii Ca-  
bilonensis.

c. 40.

c. 8.

c. 7.

c. 39.

Presbyteri degradati in Monasteriis pœnitentiæ agendæ causa includantur; si gradu amisso vitam sæcularem ducere velint, ab Ecclesiæ Communione separantur. Si Presbyteri fruges reponant & servent, non ideo id faciant, ut suo tempore eas carissime vendant, sed ut superveniente penuria pauperibus subveniant. Deinde: *Quibusdam Episcopis Fratribus nostris objicitur, quod non nullis suadeant, Mundum relinquere, eum in finem ut Ecclesia eorum Bona acquirat, a quo mens Episcopi alienissima esse debet. Episcopi salutem animarum unice quærant, & Bonis Ecclesiæ utantur non quasi propriis, sed tanquam suæ fidei commissis, quibus pauperum inopiam sublevent.* Ergo, qui talia suggesserint, pœnitentiæ canonicæ subjiciantur, & qui simplices decepti fuerint, in suscepto vitæ genere permaneant, Bona vero usurpata ipsorum hæredibus restituantur. In omnibus Missis preces pro defunctis secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem & S. Au-



S. Augustini Auctoritatem recitentur. (\*) Sæculum IX.  
A. C. 813.

Ad nos relatum est, quod Ecclesiæ in possessionibus hominum privatorum sitæ usque adeo dividantur, ut unius Altaris designentur regiones quatuor, quarum singulæ suum Sacerdotem habent. Prohibemus in futurum ejusmodi partitiones, & Episcopus in tali Ecclesia Missam celebrari non permittat, usque dum inter Hæredes convenerit, cui Presbytero solè hujus Ecclesiæ Ministerium conferre velint. Hic videmus Jus Patronatus Laicis assertum. Concilium prosequitur in hunc modum: *Pauca dicimus de rebus pertinentibus ad Abbates & Monachos, quia ferme omnia istarum Provinciæ Monasteria profitentur Regulam S. Benedicti, in qua omnia ab ipsis servanda continentur.* Concilium ad ejusdem Regulæ observantiam obligat Moniales. At Canonicis Fœminis seu Canonissis (\*\*) aliqua dantur præcepta, quæ potissimum

c. 22,

c. 53. 54. 55.  
&c.

(\*) Testimonium contra Protestantes irrefragabile!

(\*\*) Ecce hic occurrunt Canonicæ seu Canonissæ! sed quo tempore, in quibus locis fundatæ fuerunt ejusmodi fœminarum Congregationes? an certam Regulam sequebantur, vel nullam? dignissima ampla Dissertatione materia.



Sæculum IX. tiffimum ad Claustrum, silentium, & mo-  
 A. C. 813. res Abbatiffarum spectant. Matrimonia  
 Servorum non dissolvantur, etiamsi ad  
 s. 30. diversos pertineant Dominos, si modo  
 libero consensu & secundum Leges con-  
 s. 31. traxerint. Si qua mulier ex nequitia  
 vel imprudentia propriam prolem Ma-  
 trinae loco in Confirmatione tenuerit,  
 eum in finem, ut mariti torum effugiat,  
 ab eo non separetur, sed pœnitentiam a-  
 s. 19. gere conatur. Quælibet familia illi Ec-  
 clesiae, ubi toto anno Sacris interest, &  
 infantes baptizantur, Decimas pendat.  
 Istud Concilium pro secundo Cabilonen-  
 si habetur.

## §. VI.

*Concilium Turonense.*

to. 7. p. 1259. In Concilio Turonensi, hujus Civitatis  
 Rhem. 15. quarto, Canones quinquaginta & u-  
 can. 7. nus editi. Quilibet Episcopus habeat  
 Homilias, quæ Doctrinam Gregi suo ne-  
 cessariam contineant, eidemque curæ  
 fit, ut vertantur stilo claro in linguam  
 Romanam rusticam, vel in Teutonicam  
 quo intelligi possint ab omnibus. Nem-  
 pe his duabus linguis utebantur Franci;  
 prima erat lingua veterum Incolarum  
 Gallo - Romanorum, id est latina, jam  
 tunc temporis admodum corrupta, un-  
 de lingua nostra Gallica originem tra-  
 xit, altera erat lingua Francorum, a-  
 liorum.



aliorumque populorum germanorum, qui illa tempestate Imperium Francorum implebant. Hanc vero linguam populi ultra Rhenum habitantes retinuerunt. Ceterum ex his perspiciamus, plebem illo jam tempore linguæ latinæ gnaram non amplius fuisse.

Sæculum IX.  
A. C. 813.

Qui ordinandus est Presbyter ætatis annos triginta numeret, nec prius ordinetur, quam postquam diu in illa Diocesi versatus fuerit, ut officia sua discat, & ipsius vita moresque cognosci possint. Episcopus diligentissime edoceat Presbyteros, quid sit Baptismus & Renunciationes ante Baptismum fieri solitæ. Presbyteri moneantur, ne post Missam Corpus Domini Nostri infantibus aliisque primo occurrentibus nullo discrimine præbeant, quod fieri posset, ut obuius aliquis gravioris noxæ reus esset. Alibi meminimus, antiquam fuisse consuetudinem Reliquias Evcharistiæ infantibus distribuendi. Laici tæ in anno communicent. Moneantur Fideles, ut Ecclesiam intrent absque strepitu & tumultu. Sub Missam non modo ab inutili garritu abstineant, sed etiam malas cogitationes discutiant. *Sunt in gregibus nostris, inquit hujus Concilii Episcopi sermone ad Imperatorem directo, aliqui incestuosi, parricidæ, & homicidæ, qui insuperbabitis nostris admonitionibus in*

c. 128

c. 18.

Sup. Lib.  
XXXIII.  
§. 4.

c. 50.

c. 38.

c. 41.



Sæculum IX. *suis criminibus perseverant. Non nul-*  
 A. C. 813. *los excommunicavimus; sed contemunt.*

*Itaque rogamus Clementiam tuam, ut quid his faciendum, decernat. Fideles doceantur, Sortitiones, Incantationes, herbarum aut ossium ligaturas, hominibus aut pecoribus languentibus non posse prodesse, sed esse Dæmonis illusiones.*

c. 42. *Episcopi maximam pauperum curam gerant, atque etiam Presbyteris & Diaconis præsentibus aliqua de thesauro Ecclesiæ Servis aliisque ejusdem Ecclesiæ pauperibus, si necessitas petat, dare possint.*

c. 51. *Accurate examinavimus, ajunt, ut Princeps mandaverat, causam illorum, quos Bonis suis spoliatos dicunt; sed nullam contra nos in hoc genere querelam invenimus. Vix enim aliquis est, qui Bona sua Ecclesiæ donet, & non tantum aut duplum aut etiam triplum Bonorum Ecclesiæ in usumfructum accipiat,*

Canones  
Turonenses.

*addito pacto, ut ipsius liberi vel propinqui, quos nominaverit, eodem usufructu gaudeant. Iisdem quoque facultatem dedimus, Bona redimendi a Propinquis suis alienata, a quibus per legem excluderentur, ut ea in Beneficium ab Ecclesia habeant. Id est, ut hodie loquimur, in Feudum. Summopere admonendi sunt Comites & Judices, ne homines viles & indignos ad perhibendum testi-*

testi-



testimonium admittant, quoniam peje- Sæculum IX.  
rare pro nihilo ducunt. A. C. 813.

Monasteria, in quibus olim Regula  
S. Benedicti fuit observata, secundum  
eandem Regulam reformatur, quia in  
aliquibus pauci sunt Monachi, a quibus  
eorum Abbates promissum secundum  
hanc Regulam vivendi non exegerunt,  
cum & ipsi magis Canonicorum quam  
Monachorum more vivant. Juvenes c. 27.  
viduæ cito nequaquam velentur, usque  
dum probetur illarum Religio. Neo c. 28.  
Virginibus adolescentulis velamen de-  
tur ante annum ætatis vigesimum quin-  
tum, nisi aliqua cogat necessitas.

Cum Patres istorum quinque Conci-  
liorum sua Decreta singulatim ad Impe-  
ratorem transmisissent, ea Aquisgrani in  
amplissimo Conventu mense Septembri  
eodem anno octingentesimo decimo o-  
ctavo convocato se præsentate examinari  
iussit. Tum Capitulare promulgavit  
viginti octo Articulorum, in quibus ea  
continebantur, quæ præ ceteris sine po-  
testatis Sæcularis auxilio effectui dari  
non poterant. Ultimi duo articuli inter  
Canones quinque Conciliorum non le-  
gebantur, & sunt hujusmodi: *Inquiren-  
dum, an verum sit, quod dicunt, Presby-  
teros in Austrasia de confessionibus, ac-  
cepto pretio, manifestare latrones. In-  
quiratur etiam diligenter de Faidosis ho-*  
minibus, *Cang. gloss.*

An. Egink.  
An. Moisc.  
to. 7. Conc.  
p. 1287.

c. 27.

c. 28.  
Hist. Droit.  
Fr. n. 14.



*Sæculum IX. A. C. 813. minibus, qui diebus Dominicis & Festis turbas cient, quod nullatenus tolerandum.*

Faidosi homines secundum leges Barbarorum dicebantur consanguinei viri occisi, quibus competeat jus, propinqui sui mortem percussoris nece ulciscendi.

## §. VII.

*Ludovicus Imperator coronatur.*

*Thegca.*

*c. 5. 15.*

*Egna vita.*

*c. 9.*

*c. 22.*

Sub idem tempus Carolus Imperator Ludovicum Aquitaniæ Regem advocavit, unicum de tribus filiis suis superstitem, quippe Pipinus Rex Italiæ anno octingentesimo decimo obierat relicto filio ex Concubina nato, nomine Bernardo, & Carolum Regem Germaniæ, primogenitum anno sequente octingentesimo undecimo fata abstulerant improlem. Ubi igitur Ludovicus Aquisgranum pervenit, Imperator Parens coacto Episcoporum, Abbatum, Ducum, Comitum, & omnium Francorum amplissimo Conventu omnes hortatus est, ut Filio suo fidem servarent, & interrogavit, an vellent, ut ipsi nomen Imperatoris conferret? cum omnes respondissent, Divinum hoc esse consilium, die Dominica sequente Carolus assumpto cultu Regio coronam gestans in capite ad Ecclesiam se confert, & usque ad aram principem ceteris editiorem Honori Domini Nostri Jesu Christi Sacram procedit, jubetque  
aliam



aliam coronam in ea deponi. Tum postquam & ipse & filius diu orassent, Carolus ad eundem coram tota Præsulum & Procerum frequentia orationem exorsus est. Hortabatur primo, ut Deum diligeret, & timeret. Mandata ejus integerrime servaret, Ecclesias defenderet, fratres & sorores imbecilla adhuc ætate fraterno amore foveret (hi non alii esse poterant quam Drogo, Theodoricus & Hugo ex Concubinis nati) Nepotes & Propinquos omnes amaret. *Episcopos vero, inquiebat, ut Patres tuos honora, populos tibi subditos ama tanquam filios. Improbos coerce, ut ad viam Salutis reducantur. Monachis & pauperibus opem confer, Ministros tibi delige fideles Deum timentes ab avaritiæ labe immunes. Nullum eorum causa non cognita amove, teque ipsum nunquam non coram Deo & hominibus insonantem exhibe.*

Plura alia adjunxit & tandem quaesivit ex filio, an ea omnia explendi voluntatem haberet. Ludovico respondente, omnia se ex toto corde Deo adjuvante servaturum, jubet Pater, coronam ex Altari propriis manibus acciperet, & capiti suo imponeret, quo intelligeret, Imperium se a nemine nisi a Deo obtinuisse. Ergo Ludovicus coronam accipit, acclamante populo: *Ludovicus*

B 5

*Impera*Sæculum IX.  
A. C. 813.



Sæculum IX. *Imperator vivat!* omnesque hunc diem  
 A.C. 813. festum inter maximæ lætitiæ signa cele-  
 brarunt. Carolus Deo agebat gratias  
 3. Reg. I. 48. cum Davide Rege, *Benedictus es Domi-  
 ne Deus! qui dedisti hodie filium meum  
 sedentem in throno meo videntibus ocu-  
 lis meis!* Postquam deinde Sacerdos Sa-  
 cris operatus fuisset, in Regiam rediit  
 Carolus filio suo innixus. Brevi post  
 tempore dimisit Ludovicum Pater, atque  
 inter mutuos amplexus largiter lacrymas  
 fuderunt, nec enim omen aberat, al-  
 terum alterius vultum non amplius vi-  
 surum. Itaque Ludovicus Imperator  
 mense Novembri anno 813. in Aquita-  
 niam rediit.

## §. VIII.

*Caroli Pietas.*

Exinde Carolus Civitate Aquisgranen-  
 si non excessit, orationi, eleemosynis,  
 & sacrorum librorum correctioni inten-  
 tus; nam postremam vitæ partem ad Tex-  
 tus quatuor Evangeliorum exactissime  
 emendandos impendit, quem laborem  
 cum quibusdam viris Græcis & Syris  
 partiebatur. Tota ipsius vita magnus  
 pro Religione zelus & solida pietas in  
 Carolo enituit. Semper, quando per  
 valetudinem licebat, mane & vespere  
 Ecclesiam adiit, Nocturnis & Sacrificio  
 interfuit. Solicite curabat, ut omnia in  
 Eccle-



Ecclesiis ea qua par est reverentia fierent, Sæculum IX.  
 sæpe Custodes monens, ne quid indeco- A. C. 813.  
 rum in Domo Dei ageretur. Ecclesias  
 Carolus vasis aureis, argenteis, vestibus  
 Sacerdotalibus abunde instruxit, nam Sa-  
 cerdote Sanctum Sacrificium offerente  
 nullus Clericorum & ne quidem Ostia-  
 rii veste vulgari induti erant. In ornan-  
 do Sacello suo Aquisgranensi totus fuit,  
 auro argentoque parietes splendebant ac-  
 census cereis plurimis, ex ære fusi e-  
 rant cancelli & postes, columnas mar-  
 moreas Roma & Ravenna, cum aliunde  
 haberi non possent, afferri iussit. Le-  
 ctionem & cantum in Ecclesia accurate  
 emendavit, nemo enim in his disciplinis  
 Carolo Imperatore erat magis peritus.  
 Nihilominus ipse publice non legebat,  
 sed satis ei erat submissa voce & cum a-  
 liis cantare.

Hæc ita narrat Eginhardus; unde  
 dispicimus, etiam summæ Dignitatis vi-  
 ros cantorum aut Lectorum munere  
 fungi haud fuisse dedignatos; cujus rei  
 exempla Constantinopoli quoque inve-  
 nimus.

Caroli Charitas in egentes ultra Im-  
 perii sui, quamvis esset vastissimum, li-  
 mites in Syriam, in Ægyptum, in Afri-  
 cam, Jerosolymam, Alexandriam, Car-  
 thaginem extendebatur. Pecunias mit-  
 tebat, ubicunque Christianos paupertate  
 premi



Sæculum IX. premi sciret. Inde etiam ad colendam  
A. C. 813. amicitiam Principum Infidelium præci-  
 pue movebatur, ut eo facilius Christianis sub eorum Dominatu existentibus opitularetur. Inter loca pia singulari veneratione S. Petri Romæ limina prosequabatur. In illius Ecclesiæ thesaurum maximam auri, argenti gemmarumque vim contulit, additis ingentibus donis, quæ Summis Pontificibus redderentur. Toto Regni sui tempore nihil magis ei cordi fuit, quam ut antiquam dignitatem splendoremque Civitatis Romanæ reduceret, & non solum defenderet & tueretur, sed etiam Basilicam S. Petri ornaret & locupletaret. Nihilominus subjungit Eginhardus; Carolum tam diuturni Regni tempore haud sæpius quam quater Romam Devotionis causa fuisse profectum. Unde conjicere datur, quam frequentes peregrinationes illa ætate fuerint.

Tot Leges Ecclesiæ faventes a Carolo Magno latæ non ultimo loco ponendæ sunt. Illas utpote manifesta pietatis ipsius argumenta suo tempore memoravi. Una vero superest, quæ silentio præteriri non debet, & quamvis dies apposita non sit, notari tamen omnino meretur. In ea Lege Imperator loquitur in hunc modum: *Volumus, ut Subditi nostri Romani, Franci, Germani (& alii qui*

*Lib. VI. c.*  
*366. al. 281.*



qui ibi nominantur) *hoc nostrum Decretum, quod ex Codice Theodosiano excerptissimum, observent. Quicumque in Judicio causam habens sive Actor sit, sive reus, Episcopum Judicem elegerit, illico ad eum dimittatur, etiam reluctante Parte adversa, & quod Episcopus pronuntiaverit, effectum detur, nec contra ejus Judicium exceptioni locus sit. Testimonium solius Episcopi ab omnibus Judicibus haud difficulter admittatur, & in illa causa nullus alius testis audiatur.*

Sæculum IX.  
A. C. 814.

Hæc Lex quidem in fine Codicis Theodosiani tanquam a Constantino lata, & ad Ablavium Præfectum Prætorio directa reperitur; at doctissimi Critici supposititiam credunt, nec etiam ab ævo Constantini usque ad Caroli tempora hujus Legis usum viguisse deprehendimus. Interim nova Auctoritas, quam Carolus huic Decreto, quod genuinum esse putabat, peperit, sequentibus Sæculis Episcopis Jurisdictionis suæ limites late proferendi prætextus fuit.

Cod. Theod.  
Lib. XVI.  
post tit. II.

### §. IX.

#### *Caroli Magni Obitus.*

Carolus Imperator mense Januario anno octingentesimo decimo quarto, cum e balneo egrederetur, feбри correptus, credidit, se eam pro more suo facile depulsurum, si solita abstinentia (nihil

hil



Sæculum IX. hil alimenti nisi paululum aquæ capie-  
A. C. 814. bat) in eandem pugnaret. Cum vero  
 accessisset affectus pleuriticus, septimo  
 die, ex quo agrotare cœpisset, Archie-  
 piscopum Hildebaldum Archicapella-  
 num suum accersit, qui eum assistenti-  
 bus pluribus Episcopis Extrema Unctio-  
 ne munivit, & Viaticum, id est Corpus  
 & Sanguinem Domini Nostri præbuit.  
 Exinde consumpto biduo sentiens extre-  
 mam horam advenisse, signo Crucis in  
 fronte, in pectore & toto corpore forma-  
 to illa verba recitans: *In manus tuas &c.*  
 reddidit Spiritum. Illuxerat dies vige-  
 sima octava Januarii anni octingentesimi  
 decimi quarti, atque ipse Carolus dece-  
 dens numerabat annos ætatis septuagin-  
 ta duos, postquam Rex Francorum an-  
 nis quadraginta quinque & Imperator  
 quatuordecim regnasset. Sepultus est  
 eadem die.

*Eginh.*  
*Mon. Engol.*

Ubi defuncti corpus de more lava-  
 tum est, & unctum, dubium subiit, quo  
 esset sepeliendum, nullum enim de loco,  
 quo condi vellet, mandatum dederat.  
 Tandem omnibus visum, in Ecclesia,  
 quam Aquisgrani ad honorem Sanctæ  
 Virginis ædificaverat, esse tumulandum.  
 Ergo defunctus primo induitur suo cili-  
 cio, quod secreto semper gestaverat, &  
 deinde ornatur vestibus Imperialibus  
 cum panariolo aureo, quod Romam prof-  
 ciscens



ciscens gestare solitus fuerat more peregrinantium. Sedebat in Sepulchro super sellam auream, ad latus erat gladius manubrio aureo, & in sinu Evangelium auro tectum. Humeri superiori sellæ parti nitebantur, & facies linteo velabatur. Corona, in qua particula ligni veræ Crucis continebatur, catenula aurea capiti adstringebatur, sceptrum & scutum, utrumque aureum, & a Leone Papa consecratum, ante faciem ejus ex adverso pendebant. Loculus, qui pro sepulchro erat, opobalsamo, moscho, aliis aromatibus, & multo auro impletus. Clausus deinde est, & Sigillum impressum. Foris Arcus deauratus cum imagine Caroli & Epitaphio positus.

Sæculum IX.  
A. C. 813.

Carolus Magnus.

Carolus fati functum non subditi modo, sed etiam Exteri & ipsi Pagani luxerunt, cumque eum posteritas vere Magnum profiteretur, id cognomentum (\*) apud omnes populos nactus est.

Eccle-

(\*) Gallice: Charlemagne. Ceterum posterioribus temporibus nemo Imperatorum Occidentalium affecutus est Caroli Magni potentiam. Si vero ad superiora Sæcula respiciamus, Carolo Magno nemo nisi Constantinus Magnus comparari potest, quem si non potentia saltem Regiæ Clementiæ virtute Carolus noster superavit.

Solent



Sæculum IX. Ecclesiæ non nullæ Carolum invo-  
 A. C. 814. cant ut Sanctum, quamvis in aliis, quas  
 inter

*v. Boll. to. 2.*

*p. 874. 28.*

*Jan.*

Solent aliqui ex Protestantibus Caroli Magni munificentiam in SS. Pontifices arguere, & affirmare audent, tantum Principem improvide & imprudenter Romanam Ecclesiam amplissimis Provinciis locupletasse. Nempe hujusmodi Critici, qui odium & invidiam in Catholicam Ecclesiam cum lacte materno hauserunt, Episcoporum Catholicorum, præsertim Romani Pontificis, Auctoritatem & Majestatem æquis oculis intueri non possunt. Vellent Episcopos Romanos sine opibus, sine principatu & prope sine Auctoritate videre, quales olim fuere multi Patriarchæ Constantinopolitani, quos, frustra titulum Patriarchæ Oecumenici crepantes, Imperatores Græci vel Schismatici vel Hæretici, si voluntati eorum non obsequerentur, haud sane melius quam mancipia habuerunt. Audias Protestantes ingeminantes; omnia ad veterem Ecclesiæ Disciplinam reducenda esse, Episcopis Catholicis ad vitam & exemplum Apostolorum esse respiciendum. Argumentum istud, quamquam sit plausibile, nullo nititur fundamento; nam considerandum est, infinitam Dei Providentiam non ita simpliciter iisdem mediis quibus fundata est, Ecclesiam veram etiam conservasse. In Ecclesiæ principio omnia supra humanæ prudentiæ Regulas fiebant, quia Dona Spiritus Sancti erant sensibilia & miracula frequentissima; his vero cessantibus, ad prudentiæ huma-



inter Ecclesia Metensis est, pro salute a-Sæculum IX.  
 nimæ ejus singulis annis Missæ Sacrifi- A. C. 814.  
 cium celebretur. Illud negari non pot-  
 est, uxorum ipsius & concubinarum nu-  
 merum Maximi Viri famæ nocuisse.  
 Quippe quatuor habuisse uxores, quibus  
 honor Reginis debitus exhibebatur, &  
 quinque Concubinas legitur. Regi-  
 næ *Sup. Lib.*  
 fuere, Ermengardis Desiderii Regis Lon- *XLIII. §. 59*  
 gobardorum filia, quam uno anno elapso  
 repudiavit, ut meminimus, Hildegardis,  
 Fastrada, & Luitgardis, qua defuncta in  
 spatio

humanæ subsidia recurrendum fuit. Legimus,  
 ipsos Apostolos nonnunquam linguarum dono  
 instructos, non nunquam interpretum opera ad  
 prædicandum usos fuisse. Postquam Imperato-  
 res & Reges veræ Ecclesiæ Filii facti sunt, nihil  
 naturæ, nihil pietati magis consentaneum fuit,  
 quam, ut Matrem suam non solum defenderent,  
 sed etiam foverent & locupletarent. At vero,  
 si hodie etiam Clericorum vita & mores ad a-  
 miffim Apostolorum vitæ & exemplo confor-  
 mandi sunt, quare Protestantium Pastores uxo-  
 res suas non dimittunt, ut cum Apostolis ad JE-  
 sum Christum dicere possint: Ecce nos reli-  
 quimus omnia? Matth. XIX. Clerici Sæculares,  
 Protestantium judicio, abjicere divitias debe-  
 rent, Monachi, qui, per tria vota regularia, o-  
 mnia reliquerunt, sunt ipsis terræ pondus inu-  
 tile. Quid ergo facere nos oportet?



Sæculum IX. spatio tredecim annorum quatuor accepit Concubinas, ut illam silentio involvamus, quam, priusquam duceret Ermengardem Reginam, habebat. Illud autem exploratum, apud veteres Concubinæ nomen sæpe datum fuisse uxori secundum Regulas Canonicas legitimæ, cujus tamen matrimonium secundum Leges Civiles non recipiebatur, ita ut liberi ex eo nati hæredes legitimi non essent. Id observavimus, cum de Concilio Toletano primo anno 400. celebrato mentionem fecimus. De cetero verisimile omnino est, defuncta Luitgarde Carolum Magnum, cum haberet tres filios per ætatem Regno aptos, noluisse amplius uxorem accipere, quæ Regina titulo & honoribus gauderet, nec est impossibile, tres ejusmodi tori consortes intra spatium annorum duodecim fuisse mortuas, ita ut nunquam eodem tempore cum pluribus commercium maritale habuerit. Æquitas enim postulat, ut omnia potius, quæ secundum naturæ cursum fieri solent, accidisse credamus, quam ut suspicemur, tantum Principem in sua senectute sanctis operibus, ut vidimus, occupatum in illicita conjunctione vitam posuisse.

*Sup. Lib.*  
*XX. §. 48.*  
*Conc. Tol.*  
*c. 17.*



§. X.

Sæculum IX.  
A. C. 814.*Adalhardi & Walæ exilium.*

Ludovicus Imperator, comperta parentis morte, ex Aquitania Aquisgranum delatus omnes thesauros in conspectum afferri iussit, sororibus suis partem ipsis debitam dedit, bonam partem aliam Romam misit, reliqua in pauperes & Episcopos pro salute parentis sui distribuit, & sibi nihil nisi mensam argenteam, qua Mundi mappa representabatur, retinuit, cuius tamen pretium reddidit. Hoc Regni sui anno primo omnes Litteras a Patribus suis Ecclesiis concessas renovari curavit.

*Theg. n. 8.**Sup. Lib.**XLV. §. 50.**Theg. n. 10.**Vit. Val. to.**5. Att. Ben.**p. 453.*

Wala Adalhardi Abbatis Corbejen-  
sis frater inter Proceres, qui extremo  
tempore apud Carolum Magnum aucto-  
ritate pollebant, præcipuus habebatur.  
Eum in Regia educatum, cum illis litte-  
ris & artibus imbutus fuisset, quæ pri-  
mas stirpes & illam ætatem decent, Rex  
Carolus, ut ipsius indolem experiretur,  
tradidit cuidam Optimati, qui missum  
in agros labore rurali defatigavit. At  
deinde ad Aulam revocatus, rei dome-  
sticæ & Palatio præfectus nemini nisi soli  
Principi secundus fuit. Ingenium na-  
tura dederat excellens, facundus quoque  
erat, utriusque linguæ, Latinæ & Teu-  
tonicæ gnarus. In exercitiis, quos

C 2

Caro-



Sæculum IX. Carolus adversus Saxones emisit, militavit, rursusque Rex ejusdem opera, cum

A. C. 814.

*Sup. Lib.  
XLV. §.49.*

*vit. Adalh.  
n.3.to.5. Act.  
Ben. p.319.*

foedera cum Rege Daniæ anno 811. pangerentur, usus est. Anno sequente misit eum Imperator in Italiam ad Bernardum nepotem suum, ut ipsum in Regimine consiliis adjuvaret, sicut olim Adelhardum Bernardi Parenti adjunxerat. Tandem defuncto Carolo, non nulli æmuli urente invidia suspicabantur, virum potentem absente Ludovico res novas moliturum, & quamvis Wala integerrimæ fidei argumenta daret, nihilominus Ludovicum, Principem timidi & instabilis animi permoverunt, ut eum cum duobus fratribus Adelhardo & Bernardo a Regia relegaret. Adelhardus Corbeja, ubi Abbatis munereungebatur, pulsus, in Insulam Herensem, & Monasterium S. Filiberti, hodie *Noirmoutier*, missus. Ipse vero pro hac sorte gratias Deo agebat, quod sibi jam liceret aula exesse & officiis vitæ monasticæ vacare, quippe ibi septem annis omnes optimi Monachi partes implevit & toti Congregationi admirationi & exemplo fuit. Wala exilii calamitatem in animæ lucrum convertens Sæculum relinquere amicis nequicquam repugnantibus statuit. Nullum obstaculum venit ab uxore S. Guilielmi Gellonensis filia, sive ea mortua tunc fuerat, sive & ipsa

e Sæcu-



e Sæculo ad claustrum transiit. Ergo Wala-  
 la Corbejam se recepit, ubi ex Impera-  
 toris mandato novus Abbas in locum A-  
 delhardi, scilicet ex Discipulis ejus ali-  
 quis, qui & ipse Adelhardus vocabatur,  
 electus fuerat. Quamvis vero Wala in  
 hoc Monasterio esset notissimus, nihilo-  
 minus ad januam supplicis habitu com-  
 parens omnia, quibus postulantium spi-  
 ritus probari solent, humillime sustinuit.  
 Nihil ei de rigore Novitiatus relaxatum.  
 Hospitibus & ægrotis serviit, jejuniis cor-  
 pus attenuavit, finito officio nocturno  
 ante Altare in oratione diu perseverare  
 & lacrymis pavementum madefacere so-  
 litus.

## §. XI.

*Leo Armenus Iconaclasta.*

In Oriente Leo Armenus, ne quis esset,  
 quem timere cogeretur, in Insulis &  
 Monasteriis diversis custodiæ dari jussit  
 Michaelem Antecessorem suum, Proco-  
 piam uxorem, & duos filios Theophyla-  
 ctum & Nicetam, quos emasculari præ-  
 cepit. Omnes tres vitam Monasticam  
 professi nomina mutaverunt. Nam pa-  
 ter Athanasii nomen sibi elegit, & ad-  
 huc dum annis triginta duobus usque ad  
 annum octingentesimum quadragesimum  
 quintum superstes fuit. Theophylactus  
 deinde Eustratius dictus est, & quinque

C 3                  annis

Sæculum IX.  
A.C. 814.



Sæculum IX. annis post parentis obitum e vivis abiit.  
A. C. 814. Nicetas Ignatius appellari voluit, postea  
 Patriarcha Constantinopolitanus, virtute & toleratis fortiter ærumnis celeberrimus.

*Simeon  
 magist.*

Leoni Imperatori brevis quidem statura erat, sed corpus crassum & forma insignis. Vox hominis audientium aures ut tonitru percellebat, capilli autem capitis usque adeo rigeabant, ut cum eos Nicephorus Patriarcha coronam imponens contigisset, manus suas spinis læsas putaret. Dicebatur *Cameleon* tum ob staturæ brevitatem, tum ob mores mutabiles & Hypocrisim. Primum enim Catholicus videbatur, sed statim altero Regni sui anno armorum suorum contra Bulgaros successu tumens Sacris Imaginibus bellum indixit, talia ad Aulicorum aliquem effutire auditus: *Cur, putas, Christiani sub Infidelium jugo premuntur, nisi quia imagines adorant? Memento, omnes Imperatores, qui eas receperunt, de solio pulsos fuisse, vel in bello cæsos, econtra qui eas non adoraverunt, in suo Palatio naturæ debitum solvissè, & honorifice in Ecclesia Apostolorum conditos. Hos imitari apud me constitui, volo diu vivere, & Imperium in filium meum & nepotes usque ad quartam generationem transmittere.* Dicunt etiam a Leone aliquando consultum fuisse quem-

*Auct. incert.  
 post. Th. p.  
 435.*



quemdam nomine Sabbatium divinationes & auguria venditantem, qui eum triginta duos annos cum Constantino Filio regnaturum, & Bulgaros devicturum promiserat, si Imagines tolleret. Ergo

viros quærens, qui se id molientem adjuvarent, incidit in duos Senatores Joannem *Specia* & Eutyechianum, atque alium quem Presbyterum nomine Joannem inter Iconoclastas exinde fama notissimum.

Is Constantinopoli ex nobili familia natus, Grammaticam profitebatur, in Dialecticæ quoque argumentis subtilissimis admodum versatus. Præterea magicæ artis peritus erat, & quia cratere utebatur ad prædicanda futura, cognomento Lecanomanta dictus est, quo nomine magis innotuit, quamvis etiam Hylilas seu Hilzila nominetur. Idem Abbas fuit in Monasterio SS. Sergii & Bachi in Palatio Hormisdæ & Clericis Imperatoris adscriptus. Cum igitur Leo Imperator hunc virum ad ea, quæ meditabatur, aptum invenisset, Patriarchalis Dignitatis fastigium ei pollicetur, si, quæ optabat, effecisset, datque mandatum, ut veterum scripta scrutaretur. Joannes Imperatori obtemperans circa Festum Pentecostes anno octingentesimo decimo quarto cum quibusdam adjutoribus antiquos codices in omnibus Bibliothecis Constantinopolitanis tam Monasterio-

Sæculum IX.  
A. C. 814.  
Script. post.  
Th. vit. Nicet. l. 5. n. 32.  
Boll. to. IX.  
p. 262. vit.  
S. Th. Stud.  
n. 61. Post.  
Th. Lib. 4.  
n. 6. 7.



Sæculum IX. rum quam Ecclesiarum pervolvere cœ-  
 A. C. 814. pit. Collecto librorum magno nume-  
 ro Textus a Concilio Iconoclastarum sub  
 Constantino Copronymo celebrato sibi  
 indicatos annotarunt; at multos libros,  
 qui ipsorum iudicio Cultui imaginum  
 nimis favebant, flammis tradiderunt.

*Sup. Lib.*  
*XLIII. §.7.*

Antonius Metropolita Silæus ab Im-  
 peratore accersitus mense Julio Constan-  
 tinopolim pervenit. Is cujusdam Pres-  
 byteri & Sartoris filius in Sæculo Con-  
 stantinus vocabatur. Postquam aliquam-  
 diu Jurisprudentiam docuisset, multo-  
 rum flagitiorum sibi conscius, ne com-  
 prehenderetur, aufugit, & Monachum in-  
 duit. Tunc igitur misso pristino nomi-  
 ne Antonius appellari cœpit. A cunis  
 in Religione Catholica educatus, hære-  
 sim Iconoclastarum secutus est adulator,  
 ut Regiam intrare & Principis lateri ad-  
 moveri liceret. Et certe ad assentatio-  
 nem natura factus videbatur, nam face-  
 tosus erat & aliorum facta referens au-  
 dientes ad risum movebat, ut nemo ma-  
 gis. Ex Monacho Abbas factus est, &  
 Metropolita Silæus, nempe Pergæ, Ci-  
 vitate Pamphiliæ capite, & magna Sede  
 Patriarchæ Constantinopolitano subje-  
 cta. Duos secum adduxit Monachos, u-  
 num nomine Leontium, alterum Zosi-  
 mum, cui ob commissum adulterium de-  
 prehenso abscissus nasus. Ubi itaque  
 Anto-



Antonius advenit, mentem suam Impe- Sæculum IX.  
rator eidem aperuit & quæsit, an scri- A.C. 814.  
ptum reperiretur, adorandas esse imagi-  
nes. Antonius respondit: *Non est scri-  
ptum, sed antiqua traditio esse dicitur.*  
Ego vero, respondit Imperator, *nunquam  
adducar, ut adorem, nisi in Evangelio vel  
in Sancto Paulo disertis verbis scri-  
ptum legerim: adorare imaginem meam.*

## §. XII.

*Nicephorus Patriarcha Imperatori  
resistit.*

Hanc rem usque ad mensem Decem-  
brem secretam tenuerunt. Tunc  
vero Imperator, omnibus ut existima-  
bat satis præparatis, Patriarcham lenibus  
primo verbis expugnare aggreditur, di-  
cebat: *Adoratio imaginum populo scan-  
dalo est. Credit, nos illas colendo pecca-  
re, & hanc esse causam, cur ab Infideli-  
bus vincamur. Dandum aliquid populo  
est, mittamus rem nullius momenti, vel  
produc argumenta cur eas adores, cum Sa-  
cra Scriptura de iis fileat.* Patriarcha  
respondit: *Antiquas Traditiones muta-  
re non possumus. Imagines adoramus si-  
cut Crucem & Evangelium, quamvis &  
istud scriptum non sit.* Nam Iconocla-  
stæ fatebantur, Crucem & Evangelium  
adoranda esse. Interim Patriarcha,  
comperto, quod Antonius Silæus Impe-



Sæculum IX. ratori consentiret, accersitum, num ve-  
A. C. 814. rum id sit, interrogat. Negavit Anto-  
 nius, deditque libellum sua manu scri-  
 ptum apposita Cruce & sigillo, in quo  
 profitebatur, se Imagines honorare, &  
 contrarium sentientes anathematizabat.  
 Hunc libellum præsentibus Metropoli-  
 tis, qui forte aderant, tradidit; Impe-  
 ratori autem id ei exprobranti dixit:  
*Illusinus eis, Imperator, ut ea, quæ de-  
 crevisti, liberius exequaris.*

Post hoc primum certamen cum Pa-  
 triarcha Imperator ratus majoribus sibi  
 opus esse auxiliis plerosque suarum di-  
 tionum Episcopos convocavit, ut plures  
 suæ opinionis fautores haberet. At  
 priusquam Constantinopolim appelle-  
 rent, omnes iussit custodiæ dari, ne pro-  
 more antiquo neminem prius quam Pa-  
 triarcham adirent. Tum illi, quos vo-  
 luntati Imperatoris consensuros crede-  
 bant, libertati restituebantur, obsistentes  
 vero in carceres & tetros specus detru-  
 si fame cruciabantur. Nicephorus Pa-  
 triarcha intelligens cum Tyranno rem  
 sibi esse, eo majori fervore preces ad  
 Deum fundebat, & Catholicos ad con-  
 stantiam exhortabatur. Porro congregatis  
 in domum suam, quotquot potuit  
 Monachis & Episcopis, noctem cum ipsis  
 omnibus in majore Ecclesia inter preces  
 consumpsit. Et tunc factum, ut conjici-  
 cere

v. S. Niceph.  
 Gr. to. 7.  
 Boll. p. 712.

vit. Nicet.  
 Gr. Boll. to.  
 I. n. 32.



cere est, quod Patriarcha ambonem conscendens in Antonium Silæum tanquam prævaricatorem Anathema pronuncia-  
 verit. Cum ad Imperatorem esset delatum, Episcopos & Monachos ad Concionem convenisse, metuens ne contra se malum procuderetur, antequam illucesceret, tempore quo galli cantare solent, ad Patriarcham misit, qui suo nomine quererentur, contra se seditionem commoveri, & mandarent, ut omnes, postquam illuxisset, venirent ad Regiam. Ipsi eo magis ad defendendam veritatem excitati sunt, eosque, finitis precibus, Patriarcha ferventi oratione in proposito confirmavit.

Tum omnes ad Regiam se conferunt. Imperator venienti Patriarchæ nec dextram porrexit, nec de more amplexus est, sed oblique intuitus confedit, & confidere quoque jussum, primo solum affatus est, sperans, ita facilius viri constantiam frangi posse. *Nibil aliud cupimus, inquiebat, quam veritatem cognoscere, & pacem reducere. An nescis multitudinem hominum, quibus imagines offendiculo sunt? His satisfieri alia via non potest, nisi ad Scripturæ Textus, quos afferunt, respondeatis. Volo igitur, ut missa omni mora cum ipsis hac de re conferatis. Si recusatis, liquido constabit cunctis, malam esse causam vestram.*

Patriar.

Sæculum IX.

A. C. 814.

to. 7. Conc. p.

195.



Sæculum IX. Patriarcha respondit: *Neutiquam nobis*  
A. C. 814. *animus fuit contra te quemquam commo-*  
*vere, sed pro te preces ad Deum fudi-*  
*mus, sicut Scriptura præcipit. Nemo*  
*nobis ardentius pacem desiderat. Vos*  
*autem pacem & quietem perturbatis.*  
*Nam omnes hodie Ecclesiæ concordēs sunt.*  
*An Roma in destructionem imaginum*  
*consentit? (\*) An Alexandria, aut An-*  
*tiochia, aut Jerosolyma? Noli, Augu-*  
*ste, Hæresi dudum damnatæ & prostratæ*  
*manum porrigere. Si quis tibi dubium*  
*in Fide creavit, explicabimus & expla-*  
*nabimus quod petis, ut muneris nostri ra-*  
*tio exigit. At cum Hæreticis diu ante*  
*convictis & anathematizatis disputare*  
*non possumus. Ipsam vero materiam ag-*  
*gressus coram Imperatore de Quæstione*  
*Imaginum solide differuit.*

## §. XIII.

*Episcopi Imperatori resistunt.*

*Ceteri deinde Episcopi & Abbates in-*  
*trare jubentur, & ex adversa parte*  
*Iconoclastarum Principes, qui in Regia*  
*diversabantur, admittuntur. Optima-*  
*tes quoque, totum Senatum, & Ministro-*  
*rum*

*vit. S. Nicet.*  
*6.5.n.32.33.*

(\*) Ex his Ecclesiæ Constantinopolitanæ & ceterarum Orientalium cum Romana in Doctrina concordia adversus Protestantes demonstratur.



rum suorum præcipuos nudos enses tenentes, ad incutiendum Catholicis terrorem, Imperator adesse præcepit. Omnibus ingressis Nicephorus Patriarcha ad Proceres conversus ait: *Edicite, an illud tolli potest quod non existit?* Et illis mutuo sese intuentibus, cum nescirent, quid sibi vellet hac quæstione, subjunxit: *Num Leonis patris & Constantini filii Isaurorum tempore imagines non ceciderunt?* Illis annuentibus, ipse intulit: *Ergo prius imagines existebant.* Tunc Imperator dixit: *Scitote, Patres, me idem sentire, quod vos* (simul Reliquiarum thecam figuris ornatam, quam in sinu gestabat, protulit, & osculatus est) *verum, quia sunt, qui aliud docent, & de hac Quæstione ad me relatum est, decet, ut eam examinari jubeam.*

Catholici non dubii, Imperatorem mentem fingere, colloquium cum Hæreticis respuerunt. At Æmilianus Cyzicenus dixit: *Si quæstio hæc Ecclesiastica est, in Ecclesia ut mos est, & non in Regia pertractetur.* Respondit Imperator: *Sed & ego filius sum Ecclesiæ; utramque partem audiam, & arbiter vester sim.* Ad hæc Michael Synnadensis: *Si nos conciliare vis, quare id non facis, quod conciliantem decet facere? quippe alios in Regia tua foves, ad te congregas, delicate pascis, excitas, docendi erroris facul-*

Sæculum IX.

A. C. 814.



Sæculam IX. facultatem præbes, iisdem ad omnes Bi-  
 A. C. 814. bliothecas aditus patet; nobis vero li-  
 bros dare vetitum est, nec in angulis loqui  
 audemus, ubique Edictis tuis pertremefa-  
 sti. Sed quare, reposuit Imperator, cum  
 his hominibus non vultis loqui, nisi quod  
 sententiam vestram testimoniis confirma-  
 re non potestis? Theophylactus Nicome-  
 diensis: Imo testimoniis abundamus, sed  
 adversarii nostri non habent aures ad  
 hæc audienda. Petrus Nicenus subjun-  
 xit: Quomodo cum illis nos loqui vis, qui-  
 bus tu auxilium affers? an istud ignoras,  
 etiam Manichæos victoriam reportatu-  
 ros, si eorum propugnator sis? Post hæc  
 Euthymius Sardenis: Audias Impera-  
 tor, ex quo tempore, nempe jam ultra  
 annos octingentos, Iesus Christus in  
 hunc mundum descendit usque ad hanc  
 diem depingitur & in imaginibus suis a-  
 doratur; quis audeat antiquissimam Tra-  
 ditionem evertere? hæc Doctrina in Con-  
 cilio Niceno sub Irene & Constantino  
 celebrato confirmata est, & quicumque  
 contra eam insurgere ausus fuerit, Ana-  
 thema sit. Post Episcopos S. Theodo-  
 rus Studita profatus inter alia dixit:  
 vit. Theod. Ne tentes, o Imperator! Ecclesiasticum  
 c. 74. Statum dissolvere. Ait enim Apostolus:  
 Eph. 4. 11. 12 quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia  
 primum Apostolos, Prophetas, Pastores,  
 & Doctores, non dixit Reges. Tibi qui-  
 dem



*dem Republica & exercitus commissus* Sæculum IX.  
*est, hæc igitur cura. Ecclesiam autem* A. C. 814.  
*Pastoribus & Doctõribus relinque.*

Imperator superante indignatione, abire eos jubet non amplius in conspectum venire, nec de hac quæstione quidquam loqui. In domos suas reversis, singulis mandatum a Præfecto Constantinopolis scriptum affertur; quisque domi suæ se contineat, nullus alteri scribat, aut quocunque demum prætextu de Fide loquatur. Ad mandati hujus gerulos Theodorus Studita dixit: *Ipsi* c. 76.  
*judicate, an oporteat, vobis magis obedire quam Deo.* Nos vero potius feremus exsecari nobis linguam, quam periclitantem fidem prodamus. Et dicta factis confirmavit Vir Sanctus, quosdam enim advocavit, ad alios ipse accessit, vel scripsit. Patriarchæ quoque sæpius colloquebatur, ut ejus animum adversitate pressum confirmaret.

Hac de re Theodorus ad Monachos dedit Epistolam cujus initium hoc est: *Tempore isto, quo adversarii Jesum* ep. 2.  
*Christum persequuntur in Imagine sua, non illis solum qui Dignitate aut Doctrina excellunt, pro veritate pugnandum est, sed etiam Discipulis. Quando Abbates, ab Imperatore detenti, siluerunt, imo, quod multo pejus est, datis litteris promiserunt, se in cætus non coitu-*  
 ros,



Sæculum IX. A.C. 814. *ros, & hanc Doctrinam non prædicatu-  
ros, veritatis proditores fuerunt, cum  
mallerent in Monasteriis sedentes suis com-  
modis inservire, quam pro bona causa pa-  
ti. Dicunt: qui sumus nos? Respondeo;  
primo Christiani estis, quorum est in hoc  
rerum articulo loqui & fidem suam pro-  
fiteri, deinde Monachi, qui omnia reli-  
querunt, ut hoc mundo superiores essent,  
& denique Abbates, quorum est datum ab  
aliis scandalum tollere. Si quis ad istos  
Abbates veniat interrogans, quid sit de  
fide credendum, num respondebunt: Jus-  
sus sum non loqui, & te ad Monasterium  
venientem non recipere?*

## §. XIV.

*Leo dissimulat.*

*App. ad  
Theoph.  
Sup. Lib. II.  
§. 5.*

**I**nterim Imperator clam immisit milites,  
qui profanarent Jesu Christi Imagi-  
nem, in porta ænea expositam, illam  
ipsam, quæ sub Leone Isauuro dejecta, &  
jubente Irene restituta fuerat; id enim  
ex Inscriptione supra posita apparebat.  
Itaque milites lapides & cœnum in hanc  
imaginem injiciunt, invocantes Diabo-  
lum cum inferis omnibus & plures alias  
blasphemias proferentes. Imperator in-  
dignationem simulans ait ad populum:  
*Auferamus hinc imaginem istam, ne dein-  
ceps a militibus injuriam patiatur.* Hoc  
factum Antonio, Joanni, aliisque Icono-  
machis



machis animos addidit. Appropinquante Festo Domini Natali misit Patriarcha, qui Imperatorem rogarent, ne Ecclesiam turbatam vellet; se vero libenter abdicaturum Dignitatem, si ipse scandali causa esset. Imperator respondit: *Quis facinus moliri audeat, ut deponere attemptet Patriarcham, Patrem nostrum, aut Ecclesiam turbare? illam quæstionem ad examen vocavimus propter illos, qui eam movebant. Ceterum credo, quod Ecclesia credit.* Hæc dicens, e sinu productam Crucifixi imaginem inspectantibus cunctis adoravit. Nihilominus fucum faciebat, usque dum Festum transisset.

Sæculum IX.  
A. C. 815.

In die Nativitatis Dominicæ in Ecclesiam venit, intrat Sanctuarium, ut mos erat Imperatoribus Constantinopolitanis, & adorat Altaris tabulam, in qua Nativitas Domini nostri representabatur; quod toti populo solatio fuit. Verum in Festo sequente Epiphaniæ, die sexta Jan. anno octingentesimo decimo quinto patuit Imperatoris Hypocrisis; nam ad Ecclesiam veniens imagines non adoravit, & exinde Patriarchæ apertius adversari cœpit, vetuit ad populum dicere, & Ecclesiæ & Vasorum Sacrorum custodiam Thomæ Patricio bis Consuli dedit.

Illo tempore Patriarcha in gravem morbum incidit; unde Imperator al-

vit. Niceph.  
c. 10 n. 60.

Hist. Eccles. Tom. XI.

D quam-



Sæculum IX. quamdiu iram pressit, sperans, ipso de-  
 A C. 815. functo facilius, quæ volebat, effici posse.  
 Postquam vero ad eum relatum, Patriar-  
 cham convalescere, misit Theophanem  
 Imperatricis fratrem & Episcopos Ico-  
 noclastas, quibus Patriarcha colloqui no-  
 luit, dicens se eos per valetudinem non  
 posse admittere, præter causas quas jam  
 antea attulisset; sed petebat, ut prius  
 sibi potestas libera in gregem suum red-  
 deretur, ut Episcopi Catholici e carceri-  
 bus liberarentur, exules revocarentur,  
 illi, quorum Ordinationes contra Cano-  
 nes factæ essent, amoverentur, & Con-  
 ventus non alibi quam in Ecclesia age-  
 rentur. His positis conditionibus collo-  
 qui promittebat, postquam per valetudi-  
 nem sibi liceret.

## §. XV.

*Nicephorus Patriarcha pellitur.*

*Sup. Lib.*  
*XXVIII.*  
*§. 19.*

At Iconoclastæ, qui se Synodum Cæsa-  
 ream, seu *Synodos Endemoufa* repræ-  
 sentare jactabant, Imperatori persuase-  
 runt, rejiciendas esse has condiciones,  
 quippe dicebant, postquam jam ter Pa-  
 triarcham citassent, a se contumaciæ cau-  
 sa damnari posse. Ergo monitionem ad  
 eum dirigunt, in qua imperabant, ut co-  
 ram ipsis compareret, mittuntque Epis-  
 copos & Clericos cum grege otiosorum  
 hominum, qui hanc redderent. Patriar-  
 cham



cham hanc legationem in conspectum <sup>Sæculum IX.</sup>  
 admittere nolentem permovit tamen A. C. 815.  
 Thomas Patritius ne homines inauditos  
 repelleret. Admissi dixerunt: *Synodus,*  
*cui contra te Libelli oblatis sunt, tibi præ-*  
*cipit, ut ad causam dicendam venias. Si*  
*vero Depositionis pœnam effugere vis,*  
*cum Synodo & Imperatore tibi consen-*  
*tiendum est, ut imagines aboleantur. Pa-*  
 triarcha respondit: *Et quis ille est, qui*  
*auctoritate arrogata libellos contra nos*  
*recipit? estne Papa, (\*) aut aliorum Pa-*  
*triarcharum aliquis? si autem, ut dicitis,*  
*reus sum criminum, quæ Depositionis*  
*pœnam post se trabunt, num, si voluntati*  
*Imperatoris obtemperem in causa imagi-*  
*num, id sufficiat, ut absolvar & eadem*  
*die restituar? an me Legum Ecclesiasti-*  
*carum omnino ignarum putatis? etiamsi*  
*Sedes Constantinopolitana vacaret, nemi-*  
*ni tamen Episcoporum exterorum (\*\*)*

D 2

com-

(\*) Hi iterum contra Protestantes probatur,  
 quo loco Patriarchæ Constantinopolitani Roma-  
 nos Pontifices habuerint, & quem inter Judices  
 suos primum agnoverint, quamquam nulli Pa-  
 triarcharum Orientalium in alterum Jurisdictio  
 ordinaria competiit.

(\*\*) Hæc verba non ita simpliciter accipi pos-  
 sunt; sed addi debet: nisi supervenerit legitima  
 Jurisdictionis exercendæ causa. Nam Nicepho-

rus



Sæculum IX. A.C. 815. *competeret, in ea jurisdictionem exerce-  
re, multo minus, cum Sedes modo non va-  
cet.* Tum lecto Canone Delegatos ad  
se declaravit excommunicatos, & ex am-  
bitu loci sacri excedere jussit. Ipsi in  
eum & Tarasium anathema pronuncian-  
tes abierunt.

Nicephorus  
resignat.

Ergo Iconoclastæ spe omni abjecta  
Patriarcham flecti posse, eum occulto  
facinore e vivis tollere constituerunt.  
At ipse a quodam Clerico Catholico mo-  
nitus insidias effugit. Cum non succes-  
sisset dolus, edicto Decreto prohibue-  
runt, ne quis Nicephorum Patriarcham  
agnosceret, aut in Missa ejus nomen re-  
citaret. Volvebatur tunc Quadragesi-  
mæ tempus, scripsitque Nicephorus Im-  
peratori in hunc modum: *Pro veritate,  
ut meæ ferebant vires, pugnavi. Omnis  
generis injurias, opprobria, carcerem,  
Bonorum & domesticorum meorum ja-  
cturam sustinui. Tandem homines, qui  
Episcopi esse videbantur, intrarunt do-  
mum meam, cum gravissime decumberem,  
& comitante plebe cum gladiis & fusti-  
bus mihi insultarunt. Comperi deinde  
veritatis hostes me vel deponendi, vel in-  
terficiendi cepisse consilium. Ut ergo  
nefas*

---

rus non negat, se si reus esset posse deponi;  
a quibus vero nisi ab Episcopis, & utique Juris-  
dictione in se gaudentibus?



*nefas devitemus & peccatum, cuius Majestas tua particeps fiet, cedo invitus & necessitate compulsus Sede mea. Ceterum gratias agam Deo, quamcunque sortem mihi obtingere imposterum permiserit.*

Sæculum IX.  
A. C. 815.

Imperator hac Epistola maligno risu accepta Thomæ Patritio mandat, ut cohorte militum cinctus iret, & media nocte Patriarcham comprehenderet. Patriarcha, cum illa noctis hora milites ad se intrarent, petiit lumen inferri, surrexit e strato & manibus suorum nixus arrepto thuribulo duobus luciferis præeuntibus in Ecclesiam se contulit, ubi in pavimento prostratus locum Sacrum Deo commendavit, ne profanaretur ab impiis. Tum Ecclesiæ suæ & Civitati Constantinopolitanæ valedicit, & lecticam conscendens in Arcem defertur. Inde scaphæ impositus Chrysolim transvehitur, mittiturque in Monasterium Agathi, id est Boni, quod ædificaverat. Sed modico post tempore ulterius ad S. Theodori Monasterium, ab ipso quoque fundatum, transfertur.

## §. XVI.

*Theodotus Patriarcha.*

Nicephoro Patriarcha in exilium abstracto Imperator sequente die mane populum ad concionem vocat, simulatque Nicephorum sponte sua Ecclesiam

D 3

suam



Sæculum IX. suam dereliquisse & discessisse. Mox  
A.C. 815. que in ejus Sedem Joannem Leconomantam suffecturo, ut promisso se exsolveret, obstiterunt Patritii dicentes: *Juvenis est obscuri nominis, non decet nos viros Senes coram ipso prosterni.* Itaque Leo Theodotum elegit filium Michaelis Patritii, qui Constantini Copronymi Sororem in matrimonium acceperat. Theodotus Spatarius Imperatoris erat, & in eadem de imaginibus sententia. Nulla autem in eo pietas aut rerum spiritualium scientia. Sacris litteris leviter tinctus, de cetero vir mansuetus & bonus videbatur.

Patriarcha absente imaginum hostes illico eas delere, dejicere, comburere & omnibus modis profanare. S. Theodorus Studita autem, ut huic scandalo insignne pietatis exemplum opponeret, jussit Monachos suos imagines manibus suis tenere, & procedentes in solemni pompa Dominicæ Palmarum cantare Hymnum, cujus initium: *Adoramus imaginem tuam purissimam*, aliosque hujusmodi in honorem Jesu Christi concinnatos. Ita cantantes Monasterium circumvenerunt; cumque id ad aures Imperatoris pervenisset, Theodoro denunciari jussit; nisi ejusmodi cultu abstineret, flagris & ipsa morte puniendum. Sed S. Abbas contra audentior ivit, fidem Catholicam docuit,



docuit, omnesque se consulentes ad SS. imaginum cultum exhortatus est.

Sæculum XI.  
A. C. 815.

Novus Patriarcha Theodotus ordinatus est in die Paschæ prima Aprilis anno octingentesimo decimo quinto, & annis sex hanc Sedem tenuit. Quamprimum Palatii Patriarchalis possessionem adiit, coepit lautissima celebrare convivium, atque Clericos, Monachos, Episcopos, qui a puero abstinuerant a carnibus, ad eas manducandas compulit. Amandata modestia & gravitate, quæ prius hanc domum commendabant, risus, lusus, luctationes, scurrilia & sermones obsceni successerunt.

§. XVII.

*Concilium Iconoclastarum.*

Peractis Festis Paschalibus jubente Leone Imperatore Concilium Iconoclastarum & Episcoporum, qui perterriti cesserant, in Ecclesia S. Sophiae congregatum, cui novus Patriarcha Theodotus cognomento *Cassitera* præerat. Voluit quoque Imperator, ut filius suus Symbatius, quem Constantinum appellavit, Concilio adesset, ne si ipse adiret, Doctrinam illi, cui Imperium suscipiens subscripserat, contrariam approbare cogeretur. Abbates Constantinopolitani ad Synodum vocati data Epistola, quam S. Theodorus Studita nomine omnium

*vit. Niceph.*  
n. 73.

D 4

scripsit,



Sæculum IX. scripsit, absentiam excusarunt. Summa  
 A. C. 815. eorum quæ scripserat fuit: *Canones pro-*  
 Lib. II. ep. I. *hibent, ne quidquam de causis Ecclesiasti-*  
*cis præsertim de quæstionibus ad Fidem*  
*pertinentibus sine Episcopi nostri consen-*  
*su decernamus. Quapropter, licet bis a*  
*vobis vocati, non ausi sumus aliquid mo-*  
*vere, cum sub potestate Sanctissimi Pa-*  
*triarchæ Nicephori simus. Ceterum no-*  
*vimus, eo consilio hanc Synodum congre-*  
*gari, ut Concilium secundum Nicenum*  
*infringatur, & adoratio SS. Imaginum*  
*probibeatur. Quamobrem declaramus,*  
*nos in ea fide esse, quam omnes Ecclesiæ*  
*sub Cælo tenent, & adorare Sanctas Ima-*  
*gines. Non solum secundo Concilio Ni-*  
*ceno, sed universæ Traditioni scriptæ &*  
*non scriptæ a tempore adventus JESU*  
*Christi in hæremus. Doctrinam contra-*  
*riam non recipimus, etsi (quod impossibi-*  
*le factu) Petrus aut Paulus aut Ange-*  
*lus de Cælo descendens eam afferret, &*  
*parati sumus ultima pati potius quam no-*  
*stram abjicere.*

App. ad The. Duobus Monachis, qui hanc Episto-  
 p. 442. vit. lam Concilio reddiderant, haud perfun-  
 S. Niceph. n. ctorie dedolatis, initium Sessioni primæ  
 73 Sup. Lib. datum est. In ea Fidei Definitio Con-  
 XLIII §. 7. cilio in Blachernis sub nomine septimæ  
 Theod. II. Synodi Auctoritate Constantini Copro-  
 p. 15. nymi celebrati lecta est, & confirmata,  
 legitimum vero Concilium septimum &  
 Patriar-



Patriarchæ Orthodoxi anathematizati. Sæculum IX.  
 Secunda die sistuntur in Concilio aliquot A. C. 815.  
 Episcopi Catholici, quos Iconoclastæ facilius flecti posse speraverant. Primum dilaceratis eorum Sacris vestibus in Ecclesiæ januis velut captivi exspectare jubentur, trahuntur deinde in medium Conventus, & ex mandato Præsidentum stare coguntur; offertur vero singulis sedes, si modo sententiam suam abjicere vellent. At eosdem in Confessione Fidei Catholicæ & veneratione Imaginum firmos experti, imperant Episcopos terræ affligi, quorum colla obvii quique proculcant. Erectos postea averso gradu recedere compellunt, inspuunt, pulsant vultus, & capita pugnis tundunt, ita ut aliqui proprio cruore perfunderentur. Tandem militibus traditi in custodiam deducuntur. Dimissis Episcopis Abbates ex celeberrimis Monasteriis introducuntur, qui nec blanditiis nec minis victi, & ipsi in diversos carceres mittuntur. Sessioni secundæ Acclamations pro salute Imperatoris & filii eius & Anathematismi contra Principes Catholicorum finem fecerunt. *vit. S. Nicet. c. 6.*

Fidei postea suæ Confessionem ediderunt, cui primus Imperator juvenis & deinde reliqui omnes subscripserunt. Ita solutum est hoc Concilium.



Sæculum IX.  
A.C. 815. Itaque secundum ejusdem Concilia-  
buli Decretum omnes Ecclesiarum pictu-  
ræ calce illitæ delentur, stentibus ple-  
rumque illis servulis, quibus invisum o-  
pus imperatum erat. Confringuntur  
Vasa Sacra, ornamenta minutatim con-  
scinduntur, cæduntur securibus effigies  
in ligneis tabulis depictæ & in foro pu-  
blico concremantur. Aliæ imagines ad-  
hibito luto & unctioibus fœtentibus  
corrumpuntur, in odium odorum, qui  
antea in earum honorem incendebantur.  
Profani homines res Sacras impune con-  
tingebant, quas ipsis aspicere non erat  
licitum. Ex eo tempore persecutio in  
Catholicos præsertim Clericos & Mona-  
chos recrudit.

## §. XVIII.

*SS. Episcopi persecutionem pa-  
tiuntur.*

*Combef. to. 2*  
*Auct. p. 1038*  
*Conc. sept.*  
*act. 1.* Inter Episcopos, qui in hac persecutio-  
ne pressi sunt, fama celeberrimos red-  
didit Michaellem Synnadensem, & Theo-  
phylactum Nicomediensem, Discipulos  
Tarasii Patriarchæ, qui eos e Monaste-  
riis evocatos Metropolitæ ordinaverat.  
Michael inter Metropolitæ Concilio U-  
niversali septimo interfuit, missusque in  
Occidentem ab imperatore Michaelle  
*Sup. Lib.*  
*XLV. §. 23.* eadem protectione Epistolam Synodicam  
Nice-



Nicephori Patriarchæ ad Leonem III. Sæculum IX.  
 Papam detulerat. Cum igitur Michael A. C. 815.  
 & Theophylactus præfente Imperatore  
 Leone Armeno Iconoclastis constantis-*Mart. Rom.*  
 sine resisterent, ambo in exilium migra-*Bol. to. 16. p.*  
 re coguntur, Michael in Insulam Eudo-*257. Mart.*  
 cialem, & tum in alia loca, cujus me-*R. 7. Mart.*  
 moriam Ecclesia vigesima tertia Maji ce-*Boll. to 6. p.*  
 lebrat, Theophylactus autem in Arcem *787. Boll. II.*  
 Stroblyli in Caria, ubi adhucdum annis *Mart. to. 7.*  
 triginta vitam produxit. Inter Sanctos *p. 73.*  
 colitur octava die Martii seu septima sub  
 nomine Theophili.

S. Euthymius Metropolita Sardenfis  
 quoque juvenis Institutum Monasticum  
 amplexus fuerat, isque inter præcipuos  
 Episcopos Concilium Nicenum secun-  
 dum, in quo sæpius de eo recurrit men-  
 tio, celebravit. Irene & Constantinus  
 in legationibus & aliis Reipublicæ ne-  
 gotiis ipsius opera usi sunt. Eundem  
 Imperator Nicephorus in Insulam Pata-  
 ream in Occidente positam relegavit,  
 quod puellæ velamen Monasticum dedis-  
 set. Ab exilio revocatus illis se junxit,  
 qui cultum Imaginum coram Leone Ar-  
 menio forti pectore defendebant; hinc  
 ab eo in *Ason* missus est in exilium. At  
 necdum ipsius laborum finis. Item S. Æ-  
 milianus Cyzicenus Exulum numero ad-  
 ditus est, postquam pro eadem causa *Mart. Rom.*  
 multa tulisset. Ecclesia ipsius memo- *Et Menol. 8.*  
 riam *Aug. Boll.*  
*to. 9. p. 668.*



Sæculum IX.  
A. C. 815.

riam honorat octava die Augusti. Georgius Episcopus Mitylenensis in Insula Lesbos Metropoli, natus parentibus nobilitate & opulentia conspicuis vitam Monasticam olim amplexus, quem præcipue eleemosynarum largitio commendabat, Sede sua a Leone Armeno pulsus est ob cultum Imaginum, & Chersonam proscriptus, ubi vitam posuit. Is septima die Aprilis ab Ecclesia honoratur.

§. XIX.

*SS. Abbates persecutionem patientes.*

*vit. Theod.*  
*t. 81.*

*II. ep. 8.*

Inter Abbates, quos Iconoclastæ persecuti sunt, in primis S. Theodorus Studita, S. Nicetas Medicionensis, S. Theophanes Singrianensis, S. Macarius Pelicitanus, S. Joannes Catharensis claruerunt. Leo Imperator Theodorum Studitam Imaginum cultum libere propugnans non ferens, eum in Arcem Metopensem prope Apolloniam relegavit; unde S. Abbas, quamvis esset inclusus, Catholicos tamen erudire & confirmare datis litteris non cessabat. Harum litterarum magnum habemus numerum & præter alias Epistolam dogmaticam, in qua Quæstionem de Imaginibus amplissime tractat, eadem argumenta & eandem Auctoritatem adhibens, quibus olim



lim Imaginum cultus sub Leone Isauro & Copronymo defendebatur. In alia Epistola mentionem facit de aliquo Discipulorum suorum, Thadæo Monacho tamdiu flagellis cæso donec pro cultu imaginum Martyr animam exhalasset. Memorat, quosdam alios lapsos fuisse. Theodorus in carcere vinculorum socium habebat, nomine Nicolaum, postea Studiensis Monasterii Abbatem.

Sæculum IX.  
A. C. 815.

II. ep. 5.

Nicetam Abbatem Cæsareæ in Bithy-  
nia natum, matre octava die ex partu  
defuncta, Pater vitam Monasticam am-  
plexus, adhuc puerulum Deo consecra-  
vit, fecitque Ostiarium seu Ecclesiæ Cu-  
stodem. Ubi adolevit, secutus est vi-  
rum senem Anachoretam, qui eum du-  
xit ad Monasterium S. Sergii in *Medicion*  
Constantinopoli, cui tunc præerat Nice-  
phorus Abbas, ejusdem Monasterii Fun-  
dator, qui inter Abbates secundo Con-  
cilio Niceno interfuerat. Necdum an-  
nos septem integros in Monasterio agen-  
tem, Nicephorus a Tarasio Patriarcha  
Presbyterum ordinari curavit, & Abba-  
tialis Regiminis onus in ejus humeros  
transtulit. Nicephorus Abbas post ali-  
quot annos defunctus, nunc inter San-  
ctos quarta Maji honoratur. Tunc ve-  
ro Nicetas ab universa Congregatione  
Hegumenus seu Abbas eligitur, & ma-  
nibus Nicephori Patriarchæ ordinatur.

vit. ap. Boll.  
3. April. to. 9  
p. 225.

Act. 4. p. 342.

v. Boll. to. 22.  
p. 500.

Cum



Sæculum IX. Cum ceteris Abbatibus ad Concilium I-  
A. C. 815. conoclastarum deductus anno octingen-  
 tesimo decimo quinto, mittitur in car-  
 cerem foetentissimum, ita ut ipse locus  
 ingens supplicium esset. Ibi ab immis-  
 sis hominibus, quorum blasphemis &  
 conviciis fatigabatur, diutissime tenta-  
 tus, tandem jubente Imperatore in Na-  
 toliam summa hyeme proficisci cogitur,  
 & *Archi Massaleon* dictæ includitur.

*Boll. 1. Apr.*  
*to. 9. p. 30.*

*Il. ep. 20.*  
*Boll. 27.*  
*Apr. to. 2.*  
*p. 496.*

Joannes  
 Abbas &  
 Presbyter.

Theophanem Abbatem tunc calculo  
 laborantem verisimile est ante annum  
 octingentesimum decimum sextum Con-  
 stantinopolim non venisse. Macarius  
 Abbas Pelecitanus Constantinopoli na-  
 tus in Sæculo Christophorus vocabatur.  
 Is tot miracula patravit, ut Thaumatur-  
 gi nomen nactus fuerit. Præter alios  
 Paulum Patricium & uxorem ejus a  
 morbis desperatis liberavit. Sub Leone  
 Armeno imaginum causa varie tortus,  
 quoad ille imperavit, carceri mancipatus  
 fuit. Exstat Epistola a S. Theodoro Stu-  
 dita ad eum data. Joannes, Abbas Mo-  
 nasterii Catharensium, in Decapoli Isau-  
 riæ natus, ad Concilium Nicenum venit  
 cum suo in litteris Magistro, qui postea  
 Constantinopolim delatus, S. Dalmatii  
 Abbas fuit. Joannes Presbyter ordina-  
 tus & a Nicephoro Imperatore ad Mo-  
 nasterium Catharensium, quorum Abbas  
 fuit, missus, ultra annos decem illis præ-  
 fuit,



fuit, & Fratribus persecutionem Leonis Armeni prædixit, eos exhortans, ut in veneratione sacrarum imaginum perseverarent. Nec vanum fuit Vaticinium; nam immissi ab Imperatore satellites Monachos in diversa sparserunt, Monasterium diripuerunt, & Joannem Abbatem vinculis ferreis adstrictum Constantinopolim perduxerunt. In conspectum Imperatoris vocatus, impietatem virili vigore exprobrat; unde excandescens Abbatem oculos & faciem bubulis pulsari jubet. Elapsis deinde mensibus tribus in arcem *Pentadactylon*, in regione Lampensi Natoliæ sitam abstrahi mandat, ubi anno uno & mensibus sex ferro pedes vinctus hæreere coactus est.

Inter Laicos memoratur etiam Nicetas Patricius Ireni Imperatrici affinitate conjunctus, quem illa ad Concilium Nicenum misit, suo nomine interfuturum. Nihilominus hunc Nicetam in Actis non reperio. Is deinde Prætor Siciliæ fuit, ubi viduarum & orphanorum curam paternam gessit. Constantinopolim reversus, cum Leonem Armenum Imperatorem contra imagines funestum bellum suscepisse videret, abdicata Dignitate ad vitæ Monasticæ quietem confugit. Misit ad eum Imperator, qui mandaret; imaginem Salvatoris combureret, vel ad se remitteret,

Sæculum IX.  
A. C. 815.

*Menol. 6.  
Oftobr. ap.  
Baron. an.  
814. n. 46.*



Sæculum IX. ret, & utrumque facere detrectantem  
A. C. 815. eiecit in exilium, ubi multis ærumnis to-  
 leratis obiit. Ecclesia Græca ipsius ho-  
 norem sexta Octobris celebrat, & lau-  
 des eximiæ, quibus eum S. Theodorus  
 Studita in Epistola ad eundem data cu-  
 mulat, maxima fuisse viri merita irre-  
 fragabiliter testantur.

1. Ep. c. 27.

§. XX.

*Leonis III. Papæ obitus.*

*Egin. an 815*  
*Astronom.* Cum Romæ quidam de Primoribus Ur-  
 bis ad interficiendum Leonem Pa-  
 pam conspirassent anno octingentesimo  
 decimo quinto, omnes illius factionis  
 Auctores ipso iubente, ut Romanorum  
 Lex ferebat, necati sunt; id vero Ludò-  
 vico Imperatori non probabatur, quod  
 primus in orbe terrarum Episcopus (\*)  
 tanto

(\*) Ad hunc locum varia observanda occur-  
 runt. Inprimis via juris, non facti, conjuratio-  
 nis Auctores a Summo Pontifice fuisse oppres-  
 sos dubium nullum est, idque indicant verba,  
 quod in Proditores lege agi præceperit. Sed  
 quæri potest, an ut Episcopus vel ut Reipubli-  
 cæ Romanæ Princeps præcipere potuerit, ut in  
 reos pœna capitis animadverteretur; & vide-  
 tur dicendum, Leonem Papam id juris non ha-  
 biturum fuisse, nisi Episcopo Romano, legiti-  
 me electo, post Donationem Pipini & Caroli  
 Magni



tanto rigore a reis pœnas exegisset. Ita-  
que Bernardum, Italiæ Regem, Nepo-  
tem suum, ad cognoscendum, quod nun-  
ciabatur, Romam mittit. Verum Pon-  
tifex sua quoque ex parte missis Legatis,  
Joanne Episcopo Sylvæ candidæ, Theo-  
doro Nomenclatore, & Sergio Duce, per  
omnia Imperatori satisfecit.

Sæculum IX,  
A. C. 815.

Brevi post tempore, Romani Leonem  
Papam ægritudine decubuisse viden-  
tes, collecta manu omnes novas domos,  
nempe Ecclesiæ prædia, quæ in aliqua-  
rum Civitatum ditionibus extruxerat,  
diripiunt & immisso igne cremant. Tum  
Romam ire statuunt, & quæ sibi erepta  
quererentur, vi auferre. Quo comper-  
to Bernardus Rex missis illuc copiis Du-  
ce Winigiso Spoletano seditionem com-  
pescuit, & Romanos a cœptis desistere  
coegit. Omnia deinde, ut gesta erant,  
per Legatos Imperatori nuntiat.

Leo III.

Magni potestas civilis, Principi Sæculari com-  
petens, annexa fuisset. Jus tamen aliquod su-  
preum & directum in Ducatum Romanum Re-  
ges Francorum & Imperatores sibi reservasse  
exinde patet, quod Ludovicus Imperator Ber-  
nardum Italiæ Regem ad cognoscendam hanc  
causam Romam miserit. Ceterum Romani nun-  
quam Regni satis patientes tam illo Sæculo,  
quam posterioribus ad pristinam Reipublicæ li-  
bertatem respexerunt.

*Hist. Eccles. Tom. XI.*

E



Sæculum IX.

A. C. 816.

Leo III. Papa anno sequente octingentesimo decimo sexto obiit, postquam Sacram Sedem annis viginti, mensibus quinque & diebus sexdecim tenuisset. Tot annis, quibus in Pontificatu vixit, Ecclesias Urbis Romanæ magnis impensis reparavit, & dona immensi pretii contulit; quia nimirum multiplicibus oblationibus Caroli Magni, & aliorum Regum, nec non ex peregrinantium jugiter frequentissimo cœtu Ecclesia Romana admodum locupletata fuit. Inter hæc dona mihi sequentia singulariter memoratu digna videntur. Confessionis S. Petri pavementum vestivit auro fulvo librarum quadringentarum quinquaginta trium, & in ingressu Presbyterii fecit cancellos fusiles ex argento mundissimo mille quingentarum septuaginta trium librarum. Baptisterium S. Andreæ collapsum rursus erexit magnum & rotundum, columnis porphyreticis cinctum, In medio erat fons sacer, & in medio fontis columna argentea, supra quam stabat agnus argenteus aquam affundens.

Basilicæ Lateranensis fenestris vitra diversi coloris inseruit. Hic omnium primo, ut opinor, hujusmodi vitri mentio occurrit. Universim omnium oblationum aurum, cujus pondus erat appensum, plusquam octingentarum librarum,  
&



& argentum plusquam millium viginti  
& unius fuit. Præterea hæc de Libris Sæculum IX.  
A. C. 816.  
Romanis duodecim unciarum accipien-  
da sunt.

Ad Leonem tertium spectare credi-  
tur, quod quidam Auctor coævus scri-  
bit, fuisse, qui non nunquam de die se-  
pties aut etiam novies Missam celebra-  
ret. Nimirum quando Festum solemne  
& multitudo populi suadebat plures  
Missas cantari, ipse solus omnes celebra-  
bat. Ter non sæpius ordinavit, semper  
mense Decembri, atque Presbyteros tri-  
ginta, Diaconos undecim, & per diver-  
sa loca Episcopos viginti sex consecra-  
vit. Obiit undecima Junii anno octin-  
gentesimo decimo sexto, & altera die ad  
S. Petrum sepultus est. Ceterum Leo III. Boll. 12.  
Jun. to. 20.  
p. 572.  
inter Sanctos colitur, postquam ipsius  
Nomen ex Decreto Congregationis Ri-  
tuum anno 1673. Martyrologio Roma-  
no insertum est.

## §. XXI.

*Stephanus V. Papa.*

Sacra Sede non plus decem diebus va-  
cante Stephanus V. secunda Domini-  
ca post Pentecosten vigesima secunda Ju-  
nii anno octingentesimo decimo sexto  
ordinatur. Nobili genere ortus, pueru-  
lus deinde Palatii Patriarchalis Latera-  
nensis alumnus, Hadriani Papæ cura e-  
duca-



Sæculum IX. ducatus est. Leo Hadriani Successor  
A. C. 816. pietatem & humilitatem Stephani suspi-  
 cians Subdiaconum ordinavit, cumque  
 in studio rerum spiritualium quotidie  
 magis proficientem cerneret, ordine Dia-  
 conatus insignivit; quo munere Step-  
 hanus ea integritate functus est, ut Leone  
 Pontifice vita functo unanimi omnium  
 suffragio eligeretur. *Thegan. c. 16* Papa ordinatus ni-  
 hil antiquius habuit, quam ut juberet,  
 totum populum Romanum Ludovico  
 Imperatori fidelitatem cum juramento  
 promittere. Unde dispicimus, summum  
 in Urbem Imperium (\*) nec Papæ nec  
 Regi Bernardo fuisse. Simul Stephanus  
 Legatos direxit in Franciam, qui Papam  
 se esse ordinatum Imperatori nuntiarent,  
 & ipsius desiderium Principem, quocun-  
 que jussisset, adeundi aperirent. Lega-  
 tos suos ipse secutus, sub initium Augu-  
 sti itineri se dedit.

Ludo-

---

(\*) Jura tamen Principatus Summo Pontifici  
 fuisse acquisita, liquet ex verbis Constitutionis  
 Ludovici Imperatoris, quæ infra occurret, ubi  
 Donationes Caroli Magni confirmans dicit:  
*Has omnes Provincias . . . Paschali Sum-  
 mo Pontifici, & Universali Papæ ejusque Suc-  
 cessoribus usque ad finem Sæculi eo modo con-  
 firmamus, ut in suo detineant jure Principatus  
 ac Ditione &c.* In Card. Bar. ad hunc ann.



Ludovicus Imperator accepto hoc nuncio lætissimus, missis ad Bernardum nepotem suum mandatis, jubet eum Papam comitari in itinere, & obviam mittit Legatos, qui eidem obsequia præstarent, & Rhemos deducerent, ubi Pontificem præstolari constituerat. Ubi nuntiatum, Papam advenire, Hildebaldo Archicapellano, Theodulfo Episcopo Aurelianensi, Joanne Archiepiscopo Arelatensi pluribusque aliis præmissis vestitu Episcopali fulgentibus, ipse Imperator passus mille e Monasterio S. Remigii obviam processit. Mox ambo ex equo descendunt, & Imperatorem ter ad pedes suos prostratum tertia vice Pontifex sua manu erexit. Salutem mutuo sibi dixerunt lingua latina, & Imperator quidem his verbis: Benedictus, qui venit in Nomine Domini: Respondente Papa: Benedictus Deus, qui dedit, ut alterum Davidem oculis nostris videremus. Tum in amplexus ruunt, & procedunt ad Ecclesiam Imperatore Papam manu sua sustentante. Cantatur Hymnus: Te Deum &c. cumque Papa & Imperator diu in silentio orassent, surgens Papa cum Clericis suis elatis vocibus laudes seu acclamationes precesque pro Imperatore cantavit, quas peculiari oratione clausit. Itur in domum, ubi Papa Imperatori itineris sui causam exposuit, quam

Sæculum IX.

A. C. 816.

*Astronom.*



Sæculum IX. nemo Scriptorum litteris prodidit. Sum-  
A. C. 816. pto deinde pane & vino in Benedictio-  
 nis signum, Imperator Rhemos rediit, &  
 Papa in Monasterio S. Remigii extra mu-  
 ros Civitatis posito remansit. Altera  
 die Imperator Papam ad mensam invita-  
 tum lautissime pascit, & donis magnifi-  
 cis cumulat.

Die tertia Papa Imperatorem invita-  
 vit ad convivium & dona præparata ei-  
 dem, Imperatrici & Proceribus tradidit.  
 Die vero sequente, quæ erat Dominica,  
 Papa ante Missam denuo Imperatorem  
 unxit, coronam capiti imponit gemmis  
 distinctam, quam ad id ipsum attulera,  
 & iterum coronam aliam Irmingardi im-  
 posuit, quam Augustam appellavit.  
 Quamdiu deinde ibi diversatus est Pon-  
 tifex, singulis diebus cum Imperatore de  
 causis Ecclesiæ colloquebatur. Tandem  
 omnibus, quæ petebat, impetratis, & mu-  
 neribus multo pretiosioribus, quam ipse  
 Imperatori dederat, onustus, in Italiam  
 viam relegit.

## §. XXII.

*Ebbo Archiepiscopus Rhemensis.*

*op. Car. Cal.  
 to. 8. Conc.  
 876.*

**W**ulfario Archiepiscopo Rhemensis sub  
 idem tempus, nempe decima o-  
 ctava Augusti anno octingentesimo de-  
 cimo sexto fati functo, populus conce-  
 dente Imperatore elegit Archiepiscopum  
 Rhemen-



Rhemensem quemdam nomine Giselmam-  
 rum, qui coram Episcopis sedens, ut ex-  
 amen subiret, cum sibi Textus Evange-  
 lli explicandus traderetur, vix eum le-  
 gere potuit, prodiditque, se verba nulla-  
 tenus intelligere. Ergo ob ignorantiam  
 rejicitur. Tunc Imperator suavit, ut Eb-  
 bonem eligerent, quod tam populus  
 quam sapientiores ratum habuerunt. Is  
 natus erat servus in quodam prædio  
 Regis ultra Rhenum posito, & collecta-  
 neus Ludovici Imperatoris, quocum ju-  
 bente Carolo Magno in Regia educatus  
 & libertate donatus est, quod in adole-  
 scente elegans ingenium & eximium bo-  
 narum litterarum studium eniteret.  
 Missus deinde in Aquitaniam cum Lu-  
 dovico, cum a Carolo Magno illud Re-  
 gnum moderari jussus est, ut haberet fi-  
 delem Ministrum, Bibliothecarii munus  
 accepit. Jam tunc Ordinibus Sacris erat  
 insignitus, & Abbatiali Dignitate auctus  
 erat, cum anno isto octingentesimo de-  
 cimo sexto Archiepiscopus Rhemensis  
 canonicè ordinaretur.

Sæculum IX.  
 A. C. 816.

## §. XXIII.

*Regulæ Canonicorum.*

Eodem anno mense Septembri, Indi-  
 ctione decima inchoata, Imperatore<sup>Astronom.</sup>  
 Episcopus Aquisgrani congregatos ex-<sup>to. 7. Cons.</sup>  
 hortante, ut Regulam pro Canonicis<sup>p. 1307.</sup>

E 4

ex



Sæculum IX. ex Patrum Textibus excerptis, & Cano-  
 A. C. 816. nibus compositam ederent, Concilium  
 Gratias Deo egit, quod Imperatori hanc  
 mentem pro Bono Ecclesiæ indidisset,  
 atque ejusdem benevolentia, qua libros  
 suppeditabat, usi Patres, Regulam com-  
 posuerunt pro illis, quibus libri deerant,  
 vel libros intelligendi facultas. Hanc  
 Regulam, itemque aliam in volumine  
 separato pro Monialibus Canonicis con-  
 tentam totum Concilium approbavit.  
 Præcipuus Auctor hujus collectionis fuit  
 Amalarius Ecclesiæ Metensis Diaconus,  
 cui Imperator hanc provinciam deman-  
 daverat.

*Chron. Ade-  
 mar. an. 816.  
 to. 2. Bibl. no.  
 p. 154.*

Regula Canonorum complectitur  
 articulos centum quadraginta quinque,  
 quorum priores centum & tredecim Ex-  
 cerpta ex Patribus & Conciliis sunt de  
 Officiis Episcoporum & Clericorum. Pa-  
 tres, quorum textus collecti, sunt S. Isi-  
 dorus Hispalensis, S. Hieronymus, S. Au-  
 gustinus, S. Gregorius, S. Prosper, seu  
 potius Julianus Pomerus Auctor libro-  
 rum de vita contemplativa, Concilia ve-  
 ro, Nicenum, Calcedonense, Antioche-  
 num, Laodicenum, Sardicense, Ancyra-  
 num, Neocæsariense, Gangrense, Colle-  
 ctio Conciliorum Africae, S. Leonis &  
 S. Gelasii Decretales. His Excerptis  
 subjunguntur S. Augustini Sermones duo  
 de Vita communi, tuncque sequuntur  
 Decreta,



Decreta, quæ proprie in hoc Concilio Sæculum IX.  
edita. A. C. 816.

Primo error ille vulgaris oppugnatur  
credentium, Præcepta Evangelica solis  
Monachis & Clericis esse data. Tum  
distinctio Monachorum & Canonicorum  
notatur. His licet linum induere, car-  
nibus vesci, dare & accipere, proprias  
res habere, & Bona Ecclesiæ possidere,  
quæ Monachis non licent. At non id-  
circo minus quam Monachi vitia fuge-  
re & virtutem sectari tenentur. Cano-  
nici in Claustris habitent, ubi nullus in-  
trandi aut exeundi nisi per portam pa-  
teat aditus. Sint ibi Dormitoria & Re-  
fectoria, & cetera hominum societati  
necessaria. Ejusmodi Domus in pluri-  
bus Civitatibus Episcopalibus hodieque  
superfunt. Cavendum summopere, ut  
in singulis Congregationibus non plures  
admittantur Clerici, quam facultas Ec-  
clesiæ suppetat, ne si Præpositi indiscre-  
te plures aggregaverint, ceteris Ecce-  
lesiæ necessitatibus non valeant admini-  
culari, aut illi Clerici, si stipendia non  
accipiant, vagi & voluptatibus dediti ef-  
ficientur. Præpositi aliqui omnes suos  
Clericos ex Servis Ecclesiæ suæ assume-  
bant, ut si eos deinde stipendiis defrau-  
darent, aut male vexarent, conqueri non  
præsumerent, timentes ne severissimis  
verberibus afficerentur, aut servituti de-

c. 114.

c. 115.

c. 117.

c. 118.

c. 119.

E s

nuo



Sæculum IX. nuo addicerentur. Hic abusus prohibetur, & statuitur, ita nobiles ad ordinem

A. C. 816.

c. 120.

Clericalem esse admittendos, ut tamen personæ viles, si aliunde dignæ sint, non excludantur. Clerici qui & suas & Ecclesiæ habent facultates solummodo cibum & potum pro Servitio, quod Ecclesiæ præstant, accipiant. Qui facultates Ecclesiæ habent & nullum patrimonium, accipiant alimenta & vestitum. Qui nec patrimonium habent nec Bona Ecclesiæ, præterea stipendia accipiant, omnes vero de eleemosynis seu oblationibus quotidianis partem habeant. Quotiescumque mentio fit de Bonis Ecclesiæ, id accipiendum est de Beneficiis, id est de agris, quibus Clerici ex licentia Episcopi fruebantur. Canonicis singulis sine distinctione Personarum eadem cibi & potus mensura detur. Sed mensura vini major minorve erit, prout vinifera vel sterilis tulerit regio, & Ecclesiarum opes vel paupertas permiserint. Mensura recepta plerumque quatuor libræ vini erant, & si deficeret vinum supplebatur cerevisia. Libra autem constabat duodecim unciis; itaque quatuor libræ tribus Sextariis gallicis exæquantur. Canonici in vestitu duo vitia sibi opposita devitent. Non ament superfluum & immoderatum cultum vestium, nec etiam sordescant. Non gestent cuculum

c. 121.

c. 122.

124.

125.



lum, quia hæc vestis Monachorum est. *Sæculum IX.*  
 Id accipiendum de quodam palliorum *A. C. 816.*  
 genere, quod speciatim sic vocabatur,  
 non vero de omni veste cucullum habente,  
 qualis hodieque est Capitium Canonico-  
 rum. Canonici omnibus Officii *C. 131.*  
 horis assidue interfint, & quamprimum  
 campana signum dederit, ad Ecclesiam  
 modeste festinent. Stantes cantent, & *Concilium*  
 stipite non nitantur, nisi corporis infir- *Aquisgra-*  
 mitas id postulaverit. Ad cantandum *nense.*  
 & legendum deligantur magis periti, & *C. 132. 137.*  
 qui audientes ad devotionem excitare  
 possint. Caveant vero cantores a spi-  
 ritu elationis. Canonici quotidie ad  
 Collationem (id est ad Capitulum) con-  
 veniant, ubi hæc Regula & alii Libri pii  
 legantur. Ibi pro culpis suis veniam  
 rogabunt, errata emendentur, & omnes  
 de spirituali suo profectu & Ecclesie  
 causis deliberent. Quicumque horis *C. 134.*  
 non interfuerit, ad Collationem non ve-  
 nerit, opus sibi injunctum non perfece-  
 rit, qui ad mensam sero venerit, qui sine  
 licentia e claustro exierit, qui extra dor-  
 mitorium noctem transegerit, nisi postu-  
 lante necessitate, aut aliam culpam his  
 similem admiserit, moneatur ter & sæ-  
 pius. Deinde publice corripatur. Si  
 errorem non correxerit, nihil cibi præter  
 panem & aquam ipsi præbeatur. Tum  
 etiam flagella adhibeantur, si ætas &  
 delin.



Sæculum IX. delinquentis conditio id permittat; secus  
A. C. 816. fatis erit, si separetur, & jejuniis affligatur. Tandem carceri intra claustra constructo includatur, & si emendationis spes non sit, ad Episcopum remittatur, a quo judicetur, & canonicè condemnetur.

135. Infantes & juvenes Clerici in uno conclavi intra claustra habitent sub cura senis prudentis, qui eos erudiat, & moribus invigilet. Sub Episcopis Canonorum Congregationes regant Præpositi, qui secundum vitæ merita non autem pro ætate vel gradu, quem tenent in Ecclesia, eligantur. Pistorum, Coqui alique Congregationis famuli ex Servis fidelissimis Ecclesiæ assumantur. Episcopi Hospitium fundent ad recipiendos pauperes, & redditus sufficientes ex Bonis Ecclesiæ constituent. Canonici Redituum suorum, & etiam Oblationum decimas conferant, & aliquis ex gremio eorum Hospitio præficiatur, qui non solum Ecclesiastica, sed etiam rem domesticam administret. Canonici saltem in Quadragesima accedant, & pauperum pedes lavent; hinc Xenodochium in tali loco ædificetur, ut commode illuc ire possint. Nihil certius, nisi fallor, de origine Hospitiorum prope Ecclesias Cathedralis fundatorum, quæ Canonici administrant, inveniri potest.

Quam-



Quamvis Canonici domos peculia-  
res habere possint, una tamen intra clau-  
stra sit infirmis & senibus, qui aliam non  
habuerint, destinata, eosque Confratres  
invisere & consolari teneantur. In his  
domibus, quas non nulli Canonici pro-  
prias habebant, forte per diem commo-  
rari licebat, aut si ægrotarent, nam Ca-  
nonici secundum Regulam in communi  
dormitorio cubabant.

Sæculum IX.  
A. C. 816.

c. 142.

Aliquis ex Canonicis sit janitor, qui  
neminem intrare vel exire sine Superio-  
rum licentia permittat, & post Comple-  
torium claves ad Præpositum deferat.  
Mulieres Claustrum non ingrediantur,  
nec ullus Fratrum ipsis nemine præsen-  
te colloquatur. Hanc Regulam fusius  
exponere placuit, quia celeberrima est,  
& ex illa per plura deinde Sæcula Cano-  
nicorum Institutum formari, ipsique  
sensim a ceteris Clericis omnibus distin-  
gui cœperunt. (\*) Ceterum hujus Re-  
gulæ S. Chrodegangi Regula quasi Ex-

c. 143.

c. 145.

Sup. Lib.  
XLIII. §. 37

emplar fuit.

§. XXIV.

(\*) Magna certe Canonicorum illius ætatis  
& modernorum Canonicorum Regularium di-  
versitas est in abdicatione Domini, & Ufusu-  
fructus. Unde veteres voto paupertatis non fuisse  
adstrictos dispicimus.



Sæculum IX.  
A. C. 816.

§. XXIV.

*Regulæ Canonissarum.*

to. 7. Conc.  
p. 146.

Volumen secundum Regulæ in Concilio Aquisgranensi compositæ est Institutum Canonissarum complectens viginti octo Articulos, quorum sex primi excerpti sunt ex Libris S. Hieronymi, S. Cypriani, S. Cæsarii, & S. Athanasii de Officiis Virginum Deo consecratarum. In reliquis vitæ norma his Monialibus præscribitur, Regulæ Canoniorum, quantum sexus diversitas permittit, conformis. Conceditur, ut Bona sua retineant, ea conditione, si propinquo vel amico mandatum coram Judice offerant, quo illa administret, & jura ipsarum in Judicio defendat. Licet illis habere ancillas. De cetero hæ Canonissæ vere erant Moniales, voto castitatis adstrictæ, in uno Refectorio manducantes, in uno dormitorio cubantes, & e claustro nunquam egredientes. Velatæ erant, & nigro vestitu utebantur. Alicui operi semper intentæ esse jubentur vel orationi vel lectioni vel labori manuum. Vestes sibimet ipsis ex lana & lino, quod eis dabatur, contexant. In Monasterio adolescentulas educabant. Presbyteris, qui Sanctimonialibus SS. Sacramenta administrabant, Domus & Ecclesia extra Monasterium erat, & nunquam nisi munere

c. 9.

c. 21.

c. 10. 11. 12.

c. 13.

nere



nere suo functuri ingrediebantur, quia Sæculum IX.  
 Canonissæ Ecclesiam intra claustra ha- A. C. 816.  
 bebant. Intrabat Sacerdos Diacono &  
 Subdiacono comitantibus, & Missa cele-  
 brata illico exhibat. Canonissæ tempo- 6. 27.  
 re Missæ & Officii post siparium late-  
 bant. Et, si aliqua vellet, non alibi quam  
 in Ecclesia confitebatur. (\*)

Ludovicus Imperator has duas Re-  
 gulas Archiepiscopis, qui Concilio non  
 interfuerant, aut eas ob temporis penu-  
 riam non descripserant, misit, nam Epi-  
 stolarum ob hanc rem datarum tria ha- to. 7. Conc. p.  
 bemus Exemplaria; unum ad Sicharium 1437.  
 Archiepiscopum Burdegalensem, alterum Coint. an.  
 ad Magnum Senonensem, & tertium ad 817. n. 139.  
 Arnonem Salisburgensem. Jubet Im-  
 perator, ut Suffraganeis ipsorum & Ec-  
 clesiarum Præpositis congregatis lega-  
 tur hæc Regula, & Exemplaria Autogra-  
 pho, quod in Palatio servabatur, similia  
 describantur. *Eos etiam monebitis, di-  
 cit Imperator in his litteris, nos proxi-  
 mi mensis Septembris die prima missuros  
 esse Mandatarios, qui omnia executioni  
 dent, atque ut nullus sit excusationi lo-  
 cus, unius anni moram concedimus.*

## §. XXV.

(\*) Inde iterum Confessionis peccatorum  
 auricularis usus contra Protestantes probatur.



Sæculum IX.  
A. C. 816.

§. XXV.

*Concilium Celichytense.*

to. 7. Conc. p.  
1484.  
Coint. an.  
817. n. 139.

In Anglia vigesima septima Julii eodem anno octingentesimo decimo sexto Indictione nona in quodam loco *Celchyt* dicto Concilium celebratum, Wulfredo Archiepiscopo Cantuariensi duodecim Episcopis ex diversis Provinciis præsentibus præsidente. Quenulfus, qui annis jam viginti Mercii imperabat, ipse aderat cum multis Optimatibus. Abbates quoque, Presbyteri, & Diaconi venerant. Canones undecim editi sunt, atque præter alia statutum, ut Ecclesiæ ab Episcopo Diocesano dedicarentur, qui aspersionem aquæ Benedictæ aliasque Cæremonias in Libro Rituum adnotatas adhiberet. Tum Evcharistia ab Episcopo consecrata in arcula cum Reliquiis includatur, & in nova Ecclesia custodiat. Si nullæ adsint Reliquiæ, sufficiat Evcharistia, cum sit Corpus & Sanguis Domini Nostri Jesu Christi. (\*) Aliqua picta effigies indicet, cui Sanctorum Ecclesia

c. 2.

c. 4.

(\*) Ex hoc loco contra Protestantes probatur; tum Evcharistiam fuisse asservatam, tum Fideles realem Corporis Christi præsentiam credidisse. Nam in quem finem aut usum alias frustillum panis & Christi Corporis inanis figura in Altaris Tabernaculo fuisset repositum?



clesia vel Altare sit sacrum. Episcopus potestatem habeat ex consensu Congregationis Abbates & Abbatissas eligendi. Nullus ex Scotia sacrum Ministerium sibi usurpet, quia incerta est eorum ordinatio. Omnia Judicia vel Acta signo Crucis confirmata, permaneant irrefragabilia.

Sæculum IX.  
A.C. 816.

c. 5.

c. 6.

Legimus, eandem Reverentiam signo Crucis in Oriente fuisse habitam, si quis eo signo subscripsisset, nam tantum robur quantum juramento subesse credebatur. Abbates vel Abbatissæ fundos non alienent, nisi in dies unius hominis, accedente consensu familiæ seu Congregationis. Tituli autem possessionis apud Monasterium remaneant. Episcopo mortuo, decima pars Bonorum ejus detur pauperibus, tam pecorum quam rerum aliarum, & omnes Servi natione Angli manumittantur. Quilibet Episcopus & Abbates jubeant recitari sexcentos Psalmos, centum & viginti Missas celebrari, & tres Servos manumittant. In qualibet Ecclesia triginta Psalmi recitentur. Quilibet Monachus & Clericus una die jejuset. Ita nempe eleemosynæ, jejunia precesque pro mortuis conjungebantur. (\*) Presbyteri bapti-

(\*) Ecce morem omnium Sæculorum oran-  
*Hist. Ecclesiast. Tom. XL* F di



Sæculum IX. baptizantes non solum Aquam Sacram  
A.C. 817. super capita infantium effundant, sed  
 eos semper lavacro immergant, sequen-  
 tes exemplum Filii Dei, ter in Jordane  
 immerfi.

C. II.

Ex hoc Canone videmus, quod in re-  
 gionibus frigidis cœperint Baptismum  
 affundendo conferre.

§. XXVI.

*Stephani obitus. Paschalis I.  
 Papa.*

*Papebr. co-  
 nat. Ann.  
 Fr. Duchesn.  
 to. 3. Anast.*

Stephanus V. Papa e vivis abiit mense  
 tertio, ex quo e Francia Romam re-  
 diisset, scilicet, vigesima secunda Janua-  
 rii anno octingentesimo decimo septimo,  
 postquam Sedem septem non plus men-  
 sibus occupasset. Sepultus est ad S. Pe-  
 trum. Una Ordinatione mense Decem-  
 bri consecraverat Presbyteros novem,  
 Diaconos quatuor, & alias per diversa  
 loca Episcopos quinque. Sacra Sedes  
 biduo tantum vacavit, nam Die Domi-  
 nica vigesima quinta Januarii ordinatus  
 est Paschalis hujus nominis primus, qui  
 fedit

---

di, jejunandi, eleemosynas dandi pro defunctis!  
 edicant Protestantes, qui Purgatorium, id est,  
 locum tertium inter Cælum & Infernum ne-  
 gant, an putent, Fideles orasse pro animabus  
 mortuorum existentibus in Cælo, vel in In-  
 ferno?



sedit annis septem, mensibus tribus & <sup>Sæculum IX.</sup> diebus octodecim. Romæ natus erat, A. C. 817.  
 Bonosi filius. A teneris Palatii Patriar-  
 chalis Alumnus, Sacris Litteris imbutus,  
 Subdiaconus, Diaconus & tandem Pres-  
 byter ordinatus est. Orationi, jejuniis  
 & vigiliis assidue vacanti, & Monacho-  
 rum, vitæ Sanctitate excellentium, so-  
 cietatem amanti, Leo III. Papa Regimen  
 Monasterii S. Stephani prope S. Petri Ba-  
 silicam commisit; quo in munere Pascha-  
 lis eleemosynas largissime distribuebat,  
 præsertim peregrinis, qui e remotissimis  
 regionibus Romam pergebant. Step-  
 hano Papa defuncto una Clericorum po-  
 pulique voce electus est.

Ubi consecratus fuit Paschalis, mi- <sup>Egin. an.</sup>  
 sit Legatos sine mora ad Ludovicum Im- <sup>817. Astron.</sup>  
 peratorem cum magnis donis & litteris, <sup>817.</sup>  
 in quibus profitebatur, se ad suscipien-  
 dam hanc Dignitatem omnino fuisse coa-  
 ctum. Legationis Princeps, Theodorus  
 Nomenclator, pacta fœderis cum Impe-  
 ratore & amicitiam renovavit, & omnia  
 quæ petebat obtinuit. Is summi mo-  
 menti Acta Romam attulit; nempe Do- <sup>Sup. Lib.</sup>  
 nationum Ecclesiæ Romanæ a Pipino & <sup>XLIII. s.</sup>  
 Carolo Magno factarum Confirmatio- <sup>18. to. I. Cap.</sup>  
 nem. Hæc illa est celeberrima Consti- <sup>p. 591. ap.</sup>  
 tutio, quæ incipit: *Ego Ludovicus*, in <sup>Baro. an. 817</sup>  
 qua Ludovicus Imperator Donationibus <sup>n. 10. Coint.</sup>  
 parentis sui, & Avi Urbem & Ducatum <sup>eod. ann. n.</sup>  
 10. 14.



Sæculum IX. Romanum, Insulas Corsicam, Sardiniam  
 A. C. 817. & Siciliam addidit. Ultimum vocabu-  
lum, videlicet Sicilia, posteriore tempo-  
 re adjectum fuisse creditur; quippe sa-  
 tis exploratum est, tunc Siciliam in po-  
 testate Imperatoris Constantinopolitani  
 fuisse, nec Francos unquam in eam In-  
 sulam aliquod jus acquisivisse.

Præterea Ludovicus Imperator mul-  
 ta Patrimonia in Campania, in Calabria,  
 Neapoli, Salerni sita, Papæ donat. Nem-  
 pe nihil obstat, quo minus credamus,  
 Imperatorem aliqua Patrimonia in Pro-  
 vinciiis Græcorum possedisse. Addit e-  
 tiam hanc cautionem notatu dignam;  
*Salva super eosdem Ducatus nostra in o-*  
*mnibus Dominatione, & illorum ad nos*  
*subjectione.* Quod præcipue de Duca-  
 tu Romano accipitur, in quo Ludovicus  
 & ejus Successores Supremum Domi-  
 nium sibi reservarunt, ut ea, quæ in ista  
 Historia sequuntur, docebunt. (\*)

Illud quoque in ea Constitutione le-  
 gitur; quotiescunque Sacra Sedes vaca-  
 verit, libere a Romanis Papam esse eli-  
 gendum, & consecrandum. Satis dein-  
 de

---

(\*) R. P. Antonius Pagi in sua Critica putat,  
 totam Constitutionem esse supposititiam. For-  
 te, uti Fleurius credit, tantum est corrupta. Sæ-  
 pe enim Acta ejusmodi occurrunt corrupta, ra-  
 ro autem ex toto conficta.



de fore, si consecratus Legatos Regi Francorum mitteret, ad pacem conferendam. Hoc ultimum itidem est suspectum; exinde enim sicut prius Reges Electionem Papæ, antequam consecrarentur, approbarunt. Quod factum eodem Ludovico regnante videbimus. Huic Donationi Ludovicus Imperator, tres ipsius filii Lotharius, Pipinus, & Ludovicus, Episcopi decem, Abbates octo, Comites quindecim, Bibliothecarius unus, Mansionarius unus, & Ostiarius unus subscripserunt.

## §. XXVII.

*Lotharius ad Imperii consortium assumitur.*

Hæc subscriptio indicare videtur, ista *Charta* di-  
fuisse acta in Comitibus ab Impera-  
tore Ludovico Aquisgrani eodem anno  
octingentesimo decimo septimo, Regni  
sui quarto, in æstate celebratis, ubi to-  
ti frequentiæ hanc proposuit quæstio-  
nem: *An illud differendum, quod ad Re-*  
*gnum stabiliendum facit?* Omnibus re-  
spondentibus, neutiquam esse differen-  
dum, Imperator quod paucis consensu a-  
nimo constituerat, aperuit, velle se, cum  
adhuc viribus valeret, & perpendisset,  
quam caduca res esset vita humana, uni-  
trium filiorum suorum Nomen Impera-  
toris tribuere. Hoc consilium ut se-

Sæculum IX.  
A.C. 817.



Sæculum IX.  
A. C. 817. cundaret Deus, triduanum jejunium omnibus imperavit. Sacerdotes interim Sacrificia offerrent, cuncti vero eleemosynas solito largius darent, quibus mitigatum Numen suam voluntatem in tanto negotio manifestaret. His præmissis Ludovicus filium suum Lotharium natu maximum Imperatorem appellavit, & ceteris duobus aliquas Regni partes dedit, Pipinum Regem Aquitaniæ & Ludovicum Bavariæ Regem salutans, ea tamen conditione, ut omnes partes non tria Regna sed unum efficerent. Ludovicus Imperator hujus Divisionis Acta conscribi jussit, eaque unacum filio suo Lothario Romam misit, a Pontifice ratihabenda & confirmanda. Voluit quoque, ut hæc Acta cum juramento reciperent omnes subditi sui, qui lubenti animo Sacramento, quod legitimum & Regno utile credebant, se obligarunt.

## §. XXVIII.

*Monachi reformantur.*

*Leo Ost. 1.*  
*c. 19.*

*vit. 47. to. 5.*  
*Act. Ben.*  
*p. 210.*

In eodem Conventu Aquisgranensi, decima Julii Abbates ediderunt Constitutionem pro Monachis, cui postea par ferme Reverentia ac Regulæ S. Benedicti habita. Abbatum illorum Caput & Reformationis Auctor erat S. Benedictus Anianensis; eum enim Ludovicus Imperator, olim, cum Rex Aquitaniæ esset, sibi



sibi carum, defuncto Carolo Magno, in <sup>Sæculum IX.</sup> Franciam vocatum, Monasterio Mauri <sup>A.C. 817.</sup>  
 seu *Mor-Münster* prope Tabernas præfecit, in quod ille aliquot suæ Regulæ Monachos immisit. Cum vero istud Monasterium ab Aquisgrano, illo tempore Imperatoris Sede, longe esset remotum, & Benedicti Abbatis opera in arduis Reipublicæ negotiis Principi esset necessaria, eum compulit, ut, alio Abbate illis Monachis constituto, ipse cum Monachorum selectis ad se veniret.

Est vallis duabus ab Aquisgranensi Civitate leucis amœnissima, ubi, cum eam S. Abbas elegisset, Imperator curavit ædificari Monasterium, quod Indus a rivo præter illum locum permeante dictum. Imperator, dedicationi adesse dignatus, agros novæ domui donavit, iussitque ut triginta ibi commorarentur Monachi, quos Benedictus ex diversis familiis evocavit. Tunc ergo Benedictus cœpit Regiam adire, & libellos supplices, quæ Principi offerendi erant, recipere. Ne oblivisceretur eos tradere, sæpe in manicas suas immittebat, aut in manipulum, quem Presbyteri adhuc dum illa ætate e manu pendentem gestare solebant, & Imperator non nunquam S. Virum excutiebat, ut hujusmodi libellos acciperet, & legeret. Eundem non in causis peculiaribus modo, sed



**Sæculum IX.** etiam in negotiis ad Regimen Reipubli-  
**A. C. 817.** cæ spectantibus consulebat. Omnium  
 Monasteriorum totius Regni sui curam  
 Benedicto demandavit, qui iubente Im-  
 peratore Monachorum mores emendare  
 cum quibusdam aliis Abbatibus aggres-  
 sus est.

**† Noirmou- Herensiu seu Monasterii Nigri, † Apolli-  
 nier** naris Montis Cassini, Alveus Andinien-  
 sis seu S. Huberti in Silva Andenna, A-  
 pollinaris Flaviniacensis, Josue S. Vin-  
 centii ad Vulturum, & Agiulfus Soli-  
 niacensis. Postquam diu deliberassent,  
 visum est omnibus, causam potissimam,  
**Monachi.** cur Disciplina Monastica collaberetur,  
 esse observantiæ diversitatem; quamvis  
 enim in plerisque Monasteriis profite-  
 rentur, se Regulam S. Benedicti sequi,  
 maxima erat in illis rebus, quæ scriptæ  
 non sunt, varietas. Unde fiebat, ut sæ-  
 pissime desidia & tepor antiquæ consue-  
 tudinis, cui longum tempus Auctorita-  
 tem conciliaffet, pallio obtegerentur, &  
 Monachi, regionis situ vicini, sibi ipsis  
 exteri & peregrini viderentur. Igitur  
 optimum fore crediderunt, si Discipli-  
 nam æqualem stabilirent, editis Decretis  
 quæ Regulam explicarent. Idque fa-  
 ctum composita hac Constitutione A-  
 quisgranensi, ut plurimum in Articulos  
 octo-

to. 7. Conc.  
 p. 1505.



octoginta, & secundum alias Editiones, Sæculum IX.  
A. C. 817.  
septuaginta duos divisa.

Cum hujus Constitutionis fundamentum sit Regula, in Articulo primo Sup. Lib. XXXII.  
Abbatem in illo Conventu præsentem integram Regulam legere, omnia verba pensare, & illi Monachi, qui idonei essent, eandem e memoria recitare jubentur. §. 14. c. 1.  
Officium secundum Regulam S. Benedicti celebretur. Quia nempe aliqui c. 2.  
recitabant Officium Romanum, quod c. 3.  
jam tunc erat diversum. Habebant tamen etiam Officium magis solemne in Mabill. in Præf. to. 5. n. 148.  
Festis, quod Officium plenum dicebatur. c. 46.  
In Capitulo legatur Martyrologium, & deinde Regula vel aliqua Homilia. c. 69.  
Nominem Capituli illum locum accipio, quo post Primam conveniunt Monachi, ut hodieque appellatur. Complures Articuli mentionem faciunt de labore manuum, a quo nec Abbas eximitur. c. 25.  
Monachi per se laborabant in culina, in pistrino, in aliis Officinis, & non nunquam ipsi ad colligendos fructus exhibant. c. 4.  
In diebus jejunii levior erat labor, & in 17. 18.  
Quadragesima usque ad Nonam protrahatur. Paucos fuisse Presbyteros inde c. 39.  
dispicimus, quod legamus, Abbatem, Præpositum, Decanum Lectori Benedictionem dare posse, etiamsi Presbyteri non sint. c. 62.  
Monachi omnium eleemosynarum, c. 49.  
c. 46.



Sæculum IX. narum, quas accipiunt, Decimas paupe-  
A.C. 817. ribus dent.

c. 78.

In Festis minoribus & majoribus, id est in Natali Domini & in Pascha duplex sit de die refectio. Quatuor diebus liceat volatilia comedere, sed reliquo anni tempore non comedantur. Nemo poma aut lactucas extra refectiois horam manducet. Ipsæ Eulogiæ in Refectorio Fratribus dentur. Id est, panes

c. 8. 9.

c. 10.

Capitula Aquisgranensia.

c. 68.

super Altare oblati & non consecrati. Fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, sexta Feria excepta, diebus octo ante Natalem Domini, & a Quinquagesima usque ad Pascha. In Francia loco olei pinguedo concedebatur, quod etiam hac ex causa fiebat, ne a carnibus superstitiose abstinere viderentur. Panis libra, de qua Regula lo-

Mabill. Præf. n. 151. 152.

c. 22

c. 47.

quitur, triginta assibus & duodecim denariis æstimatur, quod unciis octodecim ante coctionem & postea sexdecim æquiparatur. Pro hemina vini duplum cerevisiæ detur in illis locis, ubi vinum non est. In Parasceve præter panem & aquam nihil cibi capiant. Si gravis fuerit labor, liceat bibere post cœnam, etiam in Quadragesima. Ecce collationis nostræ originem!

Reg. c. 55.

c. 22.

Regula quidem pro locorum diversitate vestimenta augeri permittit; at in Constitutione Aquisgranensi multo plura



plura, quam in Regula conceduntur, <sup>Sæculum IX.</sup>  
 scilicet, Camisæ duæ (intellige laneas, A.C. 817.  
 nam lineas Monachi non habebant) duæ  
 Tunicæ, & duo cuculli intra domum,  
 duæ Cappæ foris, pedules quatuor pa-<sup>†</sup> Sunt pro-  
 ria, † & femoralia duo paria. Prætereapria verba  
 Roccus unus, seu vestis superior, poste-<sup>Constitutio-</sup>  
 riore tempore *Froc* † dictus, & pelli-<sup>nis.</sup>  
 cium (id est tunica interiore parte pel-<sup>† die Glocke.</sup>  
 libus munita) calceamenta diurna, pa-<sup>c. 6. 7.</sup>  
 ria duo, & subtulares † per noctem. † Pantoufle  
 Wanti † in æstate, Muffulæ in hyeme † Chirothe-  
 vervecinæ. Monachi in Quadragesima<sup>cæ</sup>  
 non radantur, sed aliis temporibus post  
 quindecim dies. Balneo, si Præpositus  
 licentiam dedisset, uti licebat, quo Sæcu-  
 lares frequentissime utebantur. Pedes <sup>c. 23.</sup>  
 sibi invicem lavabant, præsertim in Qua-  
 dragesima, congruentes huic Officio An-  
 tiphonas decantantes. Monachi certum  
 phlebotomiæ tempus non observent, sed <sup>c. 11.</sup>  
 unicuique secundum quod necessitas po-  
 stulat, concedatur. Nihilominus phle-  
 botomiæ præstitutis anni temporibus  
 concessæ in recentioribus Congregatio-  
 nibus in consuetudinem abierunt.

Nullus sæcularis in Monasterio habi-  
 tet, nisi Monachus esse velit. Monachi <sup>c. 42.</sup>  
 supervenientes ad Dormitorium separa-  
 tum ducantur, & fratres prudentes eis <sup>c. 58.</sup>  
 jungantur ad colloquendum. Sine so-  
 cio iter non faciant. Postulantes non <sup>c. 63.</sup>  
 facile <sup>c. 15.</sup>



Sæculum IX. facile admittantur. Primo hospitibus in  
A. C. 817. illorum Domo serviant per aliquot dies.

Monachi Be- Bonorum suorum curam consanguineis  
nedictini Re- suis committant, & post annum Novitia-  
formati. tus secundum Regulæ præceptum de iis

v. Mabill.

præf. to. 5.

n. 150.

decernant. Habitum tunc demum suscipiant, quando votum obedientiæ profitentur.

c. 75.

Nam aliud non profitebantur, ut formulæ, quæ adhuc supersunt, ostendunt. (\*) Nullus recipiatur in Monasterium, quia dives est, sed quem merita commendant.

Parentes liberos suos offerre possint, & supplicem libellum pro eis dent, quod, ubi ad maturam ætatem pervenerint, confirment. Nulla alia in Monasterio quam infantum istorum schola sit. Id accipiendum est de Scholis interioribus; erant enim hoc Sæculo nono Scholæ exteriores & publicæ in pluribus Monasteriis, ut superius observavi.

Mabill.

præf. ead.

n. 184.

Sup. Lib.

XLV. §. 18.

c. 25.

Abbates eadem mensura, qua ceteri Monachi, sint contenti in alimentis & in vestimentis. Cum ceteris dormiant, & laborent, nisi in rebus utilioribus fuerint occupati. Abbas cum hospitibus ad portam Monasterii non reficiatur, sed in Refectorio, si vero propter hospitem volue-

(\*) Hodieque non aliud, saltem conceptis verbis, profitemur,



voluerit ad solitam mensuram fratribus  
 aliquid augere, in ipsius sit potestate. Sæculum IX.  
A. C. 817.  
 Villas, nisi necessitas coegerit, non cir-  
 cumeat, nec suis illas Monachis custo-  
 diendas committat. Si Cellas habeat  
 aut prioratus, illuc pauciores quam sex  
 fratres non mittat. Itineris socios non  
 accipiat, nisi ad Concilium proficiscatur.  
 Præpositus ex gremio constituatur, cui  
 post Abbatem præcipua Auctoritas tam  
 intra quam extra Monasterium sit. De-  
 cani ordinem temporis servent. In eos,  
 qui duræ cervicis sunt, acrior vindicta  
 exerceatur, sed nudi in Fratrum obtu-  
 tu non cædantur. Qui ob graviores  
 culpas pœnitentiam agunt, in domo se-  
 parata habitent, & adsit atrium, in quo  
 laborent. At diebus Dominicis aliquid  
 eis relaxetur.

c. 27.  
 c. 26.  
 c. 44.  
 c. 59.  
 c. 31. 32.  
 c. 55.  
 c. 80.  
 c. 14.  
 c. 40.

Hujusmodi est Constitutio Aquis-  
 granensis pro Monachis, quam Impera-  
 tor confirmavit, & curavit, ut effectui  
 daretur.

§. XXIX.

*Monasteriorum Præstationes.*

In eodem Conventu conscriptus est In-  
 diculus Monasteriorum existentium in  
 Provinciis, quæ Imperatori parebant, ut  
 singulorum præstationes adnotarentur.  
 Omnia Monasteria in tres classes divisa.  
 Aliqua ad militiam & dona pendenda te-  
 neban-

to. 7. Conc. p.  
 1513. to. 1.  
 c. p. 589. Es  
 Not. to. 2. p.  
 1092. Coint.  
 ann. 817. n.  
 239.



Sæculum IX.  
A. C. 817. nebantur, alia ad dona solum, & aliqua ad nihil nisi ad orandum pro Salute Cæsaris. Qui ad militiam conferre & dona pendere tenebantur, erant Monasteria quatuordecim in Francia, duo ultra Rhenum posita, duo in Bavaria. In Francia S. Benedicti Monasterium ad Ligerim, Ferrariense, Corbejense, S. Mariæ Suesione, S. Eugendi, hodie S. Claudii, & quædam alia. Sexdecim Monasteria dona sine militia præstabant, & inter alia, Monasterium S. Sequani, Nantuadense, S. Bonifacii, seu Fuldense, Sancti Wigberti, seu Fretelariense. Monasteria octodecim tantum orare tenebantur, atque inter illa Monasterium Fossatense, hodie S. Mauri prope Parisios, Saviniacense prope Lugdunum. Plura alia numerantur in Aquitania posita, quæ verisimiliter tantum preces offerre debebant. Hæc inter magis nota sunt, Monasterium S. Filiberti seu *Noirmoutier*, †  
 † Monasterium nigrum. S. Maxentii, Carrofiniense, Brantosmuriense, Sanctæ Crucis Pictavii, Menadieniense & Magnilocense in Arvernia, Conquacense & S. Antonini in Rutenis, Musciacense, S. Ægidii in Diocesi Nemausiensi, Psalmodiense, Anianense, S. Tiberii, Villamagnæ, S. Papuli, quod hodie est Episcopatus, & Monasterium Mansi Ansili. Inde Monasteriorum



riorum istorum antiquitas cognosci-  
tur. (\*)

Sæculum IX.  
A. C. 817.

## §. XXX.

*Lapsus Abbatum in Oriente.*

Interim S. Theodorus Studita contra Per-  
secutores in Oriente Paschalis Papæ  
præsidium quæsit. Nam cum Leo Ar-  
menus

(\*) Ceterum ex hoc Indiculo † seu Com-  
mentario Monasteriorum liquet jam illa ætate  
permulta in Bavaria extitisse Monasteria; nam  
inter illa, quæ tam ad militiam quam ad æra-  
rium Cæsaris conferre tenebantur, numerantur  
sequentia: In Bavaria. Monasterium *Magnau-  
ser*, Monasterium *Tegnauser*. Inter illa Mona-  
steria, quæ non ad Militiam, sed ad ærarium  
conferebant, occurrunt: In Bavaria. Monaste-  
rium *Altemburc*. Monasterium *Alcabe*. Mo-  
nasterium *Creausa*. Monasterium *Mathasco*.  
Monasterium *Buria*. Inter illa, quæ solum pre-  
ces pro Imperatore ad Deum mittebant, legun-  
tur: In Bavaria. Monasterium *Berch*. Mona-  
sterium *Mechema*. Monasterium *Scovenauva*.  
Monasterium *Alofeburch*. Monasterium *Weiz-  
zenbrunico*.

Dubium non est, quin Monasteria, *Buria*, &  
*Weizenbrunico*, sint Monasteria *Benedictobu-  
ranum* & *Wessofontanum*. An cetera interie-  
rint vel mutatis nominibus existant Antiquita-  
tis amatoribus discutiendum relinquo. In hoc  
Indice univèrsim nominantur Monasteria octo-  
ginta



Sæculum IX. A.C. 817. vit. S. Nicet. c. 7. n. 40. Boll. to. 9. p. 264. Sup. n. 19. menus intelligeret, Episcopos & Abbates Imaginum Defensores, exilio damnatos, eo magis in sua sententia confirmari, multos eorum Constantinopolim revocavit, atque inter alios Nicetam Abbatem, quem vix dies quinque in loco exilii commoratum itinere admodum incommodo redire compulerunt. His reliqua hyemis parte & in Quadragesima anni octingentesimi decimi sexti Constantinopoli quiescere datum; verum post Pascha Imperator eos Joanni Leconomantæ tradidit, qui a mutuo conspectu abstractos in diversos carceres caligine horridos misit, ubi relictæ sunt humi jacentes, ut erant vestiti, sine ullo alio tegumento; per aliquod foramen autem una uncia panis mucidi & paululum fœtentis aquæ porrigebatur.

Cum jam Joanni constaret, hos viros mortem potius subituros, quam prodituros veritatem, dixit: *Nibil aliud a vobis petimus, quam ut semel cum Theodoro Patriarcha communicetis; tum vos ad Monasteria vestra remitemus, & ad abjiciendam Fidem vestram non cogemus.* Illi hac pollicitatione perversi, & e carcere

---

ginta quatuor, Monasteriis Italiæ non recensitis, quod nempe suas præstationes non Ludovico Imperatori, sed tum Papæ, tum Regi Italiæ darent.



cere dimissi, S. Nicetam adeunt, hortantes, ut & ipse ex suo ergastulo se ipsum liberaret. Primo quidem audire eos noluit; sed cum vehementer instarent & dicerent, neutiquam se eo adduci posse, ut liberi discederent, ipso in carcere remanente, & adjicerent: *Nibil malè est, quod a nobis petunt. Dandum aliquid hominum istorum pertinaciæ, nisi omnia perditæ velimus*, tandem Nicetas precibus & Auctoritati virorum senectute venerabilium cessit. Omnes igitur in Sacellum se conferunt, cujus picturæ servatæ fuerant, & Communionem accipiunt de manu Theodoti, Anathema dicentis omnibus illis, qui Jesu Christi imaginem non essent adoraturi.

Rebus in hunc modum compositis Abbates ceteri ad sua Monasteria redierunt. At Nicetam subiit pœnitentia facti, in quod prope invitus consenserat, & in aliam regionem aufugere statuit, ut errorem emendaret. Ergo sarcinis suis in navigium coniectis in Proconesum devehitur; moxque sententiam mutans, sibi ipsi exprobrabat: *Ubi erratum fuit, opus est, ut in eodem loco emendatio fiat*. Rediitque Constantinopolim, ubi constanter & publice profitebatur, se in eadem sententia perseverare. Quare comperta, cum eum Imperator ad se vocasset, *quid est, inquit, quod aliis Pa-*

*Hist. Eccles. Tom. XI.*

G tri-

Sæculum IX.

A. C. 817.



Seculum IX. *tribus ad sua Monasteria reversis, ut jus-*  
A. C. 817. *seram, tu solus hic relictus es? Ad hæc*

*S. Nicetas, ego, inquit, Imperator, ob se-*  
*num illorum Reverentiam feci, quod non*  
*decebat; sed in eadem Traditione per-*  
*maneo, quam accepi. Nullam habeo vo-*  
*biscum Communionem. Fac, quidquid*  
*libuerit, nihil amplius a me te auditurum*  
*speres.* Videns igitur Imperator eam  
 esse viri constantiam, quæ vinci non pos-  
 set, iussit eum primum Constantinopoli  
 custodiri a regalium ædium Curatore, no-  
 mine Zacharia, viro pietatis studioso,  
 qui Nicetam mansuete & honestissime ha-  
 buit. Postea vero Imperator eundem  
 relegavit in Insulam Glyceriam, quam  
 detinebat Anthemius ab Iconoclastis Mo-  
 nasteriorum in illis regionibus Exarchus  
 constitutus. Huic majorem honoris  
 gradum pollicentur, si Nicetam permo-  
 veret, ut cum ipsis communicaret. Ille,  
 cum crudelis esset & versutus, pessime  
 habitum in arcto carcere inclusit, clavem  
 secum ferens. S. Nicetas in illo exilio  
 degit usque ad obitum Leonis Impera-  
 toris, atque varias ærumnas annis sex,  
 ab anno octingentesimo decimo quinto  
 usque ad annum octingentesimum vige-  
 simum primum toleravit. S. Joannes  
 quoque Catharensium Abbas ferius, nem-  
 pe post unum annum & dimidium Con-  
 stantinopolim vocatus, ab Impera-  
 tore



tore traditur custodiae Joannis Leconomantæ, qui eum diu fame aliisque tormentis vexavit. Tandem, in Arcem Criotaurum relegatus, in caliginosa specu usque ad Leonis fata custoditus est.

Sæculum IX.

A. C. 817.

Boll. 27. Ap. to. 2. p. 496.

## §. XXXI.

*S. Theodori Studitæ constantia.*

At S. Theodorus Studita non fuit revocatus. Statim initio exilii sui in Arce Metopensi apud cunctos, quibus ad eum aditus patebat, suis sermonibus, & datis litteris apud absentes veritatem Catholicam defendit. Ex illis Epistolis unam habemus datam ad Josephum, germanum suum, Archiepiscopum, de lapsu Abbatum, qui cum Iconoclastis communicaverant. In ea primo nominat Josephum Oeconomum, qui olim nuptias adulterinas Constantini Imperatoris celebraverat; deinde Abbates alios septem, a Josepho seductos, quos Monasteriorum suorum nomine designat. Scripsit quoque Naucratio Discipulo suo, se, audito tristi nuncio, noctem insomnem duxisse, seque minus mirari ignaviam illorum, qui nuptias adulterinas approbarunt. *Hi autem, inquit, veritatis oppressionem prudentem dispensationem appellarunt.*

ep. 10.

Hæc viri libertas & scriptæ maxime Epistolæ Imperatorem latere non poterant.

vit. n. 83.



Sæculum IX. rant. Mittit igitur quemdam, arcano-  
 A. C. 817. rum suorum conscium, nomine Nice-  
 tam, cum mandatis, ut Sanctum in Na-  
 toliam Bonitam (id loco nomen erat) ab-  
 duceret, & inclusum ita coerceret, ut  
 neminem videre, neminem alloqui pos-  
 set. Quæ Nicetas Theodoro cum de-  
 tulisset, *Locum, inquit, mutabo baud gra-  
 vate, nulli enim addictus sum, linguam  
 vero, ut ut suadeatis, inbibebo nunquam,  
 quippe amore veritatis banc sortem ma-  
 lam libere elegi.* Imperator, ubi iterum  
 vit. n. 84. audivit, quam excelsa mens Theodoro  
 esset, Nicetam secundo illuc proficisci  
 jubet, diras plagas illi inferre, & totam  
 carnem vibicibus implere. Cum Nice-  
 tas ad Sanctum pervenisset, ille e vesti-  
 gio & alacriter tunicam exuit, corpus-  
 que ad accipienda verbera composuit,  
 dicens, hoc jam pridem optatum sibi &  
 expectatum fuisse. At Nicetas, ut ve-  
 nerandas illas carnes nudas vidit, quas  
 jejunia ad summam maciem perduxer-  
 ant, intimis sensibus indoluit, jussitque,  
 ut honestatis causa solus cum solo relin-  
 queretur. Tum ovis pellem recens de-  
 tractam accipit, viri humeris imponit,  
 & sic in ea distringit verbera, quorum  
 strepitus ad foris stantes perveniebant.  
 Quin ut guttas etiam ex plagarum cruo-  
 re profusas ostendere posset, sanguinem  
 e brachio suo lanceolæ ictu elicuit, eo  
 manan-



manante flagrum imbuit & foras pro-  
gressus tinctum exhibuit. Ipse porro  
citato anhelitu fatigationem simulabat.

Sæculum IX.  
A. C. 817.

## §. XXXII.

*S. Theodorus Papæ scribit.*

Igitur S. Abbas nec loqui nec dare Epi-  
stolas, atque præter alios, ad Patriar-  
chas, nempe primo ad Paschalem suo &  
aliorum quatuor Abbatum, quorum pri-  
mus est Joannes Catharensis, nomine  
non cessavit. In hac Epistola dicit:  
*Jam fere pleraque de persecutione, quam  
patimur, ad Beatitudinem tuam supre-  
mam delata fuerint; id tamen forte per  
Epistolas accurate necdum factum. Ita-  
que, Capite nostro comprehenso (scilicet  
Nicephoro Patriarcha) & Fratribus no-  
stris in diversa sparsis, nihilominus viam  
invenimus nos in Spiritu conjungendi,  
& tibi hæc confidenter scribimus. Au-  
di, Apostolicum Caput, a Deo præposi-  
te Pastor ovium Jesu Christi, qui acce-  
pisti claves Regni Cælorum, Petra super  
quam ædificata est Catholica Ecclesia, (\*)  
tu enim es Petrus, quia Sedem ipsius im-  
ples.*

G 3

(\*) Talia P. Balduinus a Fleurio mala fide  
omissa sine omni fundamento affirmat. Con-  
tra Protestantes vero ex hoc testimonio iterum  
probatur, quis sensus in Oriente de Episcopi  
Romani Auctoritate & potestate fuerit.



Sæculum IX. *ples.* Tum describit, quanta mala in  
 A. C. 817. hac persecutione sustineant, & subjun-  
 git: *Veni ergo ab Occidente in auxilium  
 nostrum. Tibi dixit Iesus Christus:*  
*Luc. 21. Confirma fratres tuos! nunc confirman-  
 di tempus & locus est. Porrige nobis  
 manum, qui potestatem a Deo habes,  
 cum sis omnium Princeps. Audiat Ec-  
 clesia, quæ sub Cælo est, quod in Synodo  
 illos anathematizes, qui Patres nostros a-  
 nathematizare ausi sunt. Sic opus facies  
 Deo acceptum, concussos firmabis, for-  
 tes stabilies, lapsos eriges, gaudium dabis  
 Orthodoxæ Ecclesiæ universæ, gloriam  
 tibi paries immortalem, imitator Ante-  
 cessorum tuorum, qui afflati a Spiritu  
 Sancto similibus Ecclesiæ temporibus ea,  
 quæ modo a te exspectamus, effecerunt.*

## §. XXXIII.

*Epistolæ ad Patriarchas.*

*ep. 14.* Theodorus suo tantum nomine dedit  
 Epistolam ad Patriarcham Alexan-  
 drinum, quem non nominat, forte quod  
 nomen ejus nesciret, quia Christianis  
 sub potestate Musulmannorum positus  
 litteras dare aut accipere non licebat.  
 In ea Epistola magis accurate persecu-  
 tionis calamitatem describit, quod eum,  
 ad quem litteras dabat, ista ignorare  
 crederet. Inter alia dicit: *Everfa sunt  
 Altaria, templa Domini etiam in Mo-  
 naste-*



nasteriis devastata. Ille ipse, qui cervi-  
 cibus vestris incumbit Arabs, mitius for-  
 sitan hac in parte erga Christum se ge-  
 rit. Et post alia: Episcopi & Sacerdo-  
 tes, Monachi & Sæculares, omnis sexus  
 & omnis ætas labefactata. Alii quidem  
 circa fidem naufragium passi sunt, alii  
 fidem intus servantes hæretica saltem Com-  
 munionem involvuntur. Super sunt tamen,  
 qui non curvaverunt genua ante Baal, &  
 ante alios, qui primus est inter nos, Pa-  
 triarcha noster. Ex his vero alii ludi-  
 briis & verberibus tentati fuerunt, illi  
 in vinculis & carceribus pane modico &  
 aqua vitam trabunt, alii relegati, alii in  
 desertis & montibus, in speluncis terræ  
 versantur. Quidam flagellis usque adeo  
 cæsi, ut Martyres ad Dominum emigra-  
 verint, sunt, qui sacco inclusi noctu in  
 mare demersi vitam finierunt. Quid cæ-  
 tera? anathemate feriuntur Patres no-  
 stri, memoria impiorum celebratur, in-  
 fantes perversa dogmata ex illo, qui Ma-  
 gister traditus est, libro in scholis hau-  
 riunt. Si quis sanam Doctrinam præ-  
 dicat, mox instant insidiæ. Non vir a  
 conjuge sua tutus, mille exploratores ad  
 Imperatorem deferunt, an quis a fide i-  
 psius discrepet, an cum Hæreticis non com-  
 municet, an imaginem domi habeat, aut  
 librum de imaginibus scriptum, aut an  
 exulem recipiat, aut captivo pro Christi

Sæculum IX.  
 A. C. 817.



Sæculum IX. *amore ministret. Quod si deprehendatur talis, illico rapitur, cæditur, relegatur.* Unde videas, *judicii metu, Dominos mancipiis suis adulari. Propterea nomine omnium opem tuam efflagito, & quamvis aliter juvare non posses, scio tamen precum saltem subsidium nobis magnum emolumentum in extrema necessitate allaturum.*

*ep. 15.* Theodorus Patriarchæ Antiocheno similem ac Alexandrino Epistolam misit; illa vero, quam ad Patriarcham Jerosolymitanum dedit, diversa est. In ea dicit: *Primus Patriarcharum es, quamvis numero quintus, ob dignitatem loci, in quo JEsus Cbristus versatus fuit. Rogat, ut Dionysio Monacho hujus Epistolæ latori faveat, quo facilius alias quoque, quas deferebat, verisimiliter ad duos alios Patriarchas & Palæstinæ Abbates, reddere posset. Nam simul etiam Theodorus ad Abbatem Lauræ S. Sabæ, item ad Abbates S. Theodosii, S. Charitonis, & S. Euthymii litteras dabat. His Epistolis descripta exemplaria cujusdam sermonis ab Iconoclastis editi, & ejusdem Refutationis a S. Theodoro compositæ, juncta erant.*

Quamvis Theodorus dicat, se nullum aliud ab his Epistolis emolumentum expectare, quam eorum, ad quos datæ erant, pias preces, maximum tamen inde bonum



bonum eveniebat, quod consensus Uni-  
 versæ Ecclesiæ in cultum SS. Imaginum  
 demonstraretur, cum Fideles Orientales  
 Imperatoris Constantinopolitani metus  
 non turbaret. Tunc Patriarcha Alexan-  
 drinus Melchita Christophorus, & An-  
 tiochenus Job erat. Neutrius Respon-  
 sum reperimus, at dubium non est, quin  
 responsum dederit Thomas Patriarcha  
 Melchita Jerosolymitanus, qui, hanc Se-  
 dem anno octingentesimo undecimo ad-  
 eptus, annis decem ut diximus sedit,  
 nempe usque ad annum octingentesimum  
 vigesimum primum. Imo ad causam Ec-  
 clesiæ defendendam misit Constantino-  
 polim duos Monachos S. Sabæ Theodo-  
 rum & Theophanem. Fratres erant pa-  
 tria Jerosolymitani. Theodorus a pri-  
 mis annis illius Monasterii Alumnus in  
 litteris & pietate institutus est. Unde  
 videmus tam in Oriente quam in Occi-  
 dente in Monasteriis Scholas fuisse. Eum  
 Patriarcha Presbyterum ordinavit, &  
 quidam Senex, olim Magister ipsius, de  
 eo vaticinatus est, quod aliquando Mar-  
 tyrium esset subiturus. Erat Theodo-  
 rus doctissimus, namque etiam defensio-  
 nem Veritatis editis libris in se suscepit.  
 Ubi cum fratre suo Constantinopolim  
 pervenit, primo Theodotum Patriarcham  
 adiit, & Hæresim virili vigore exprobra-  
 vit. Deinde cum obvium habuisset Im-

Sæculum IX.

A. C. 817.

Sup. Lib.

XLV. §. 56.

vit. ap. Sur.

26. Dec. to.

6. p. 1094.



Sæculum IX. A. C. 817. peratorem, pari libertate locutus est. Imperator primum Viri virtutes reverentus dissimulavit, eoque ad se vocato, longos sermones miscuit; sed, constantissimum expertus, eum & fratrem ipsius Theophanem flagellis cædi jubet, mittitque ad Ponti Euxini ostia, editis mandatis, ne quis iis aut cibum aut operimentum daret. Verum Leone Imperatore brevi postea e vivis sublatis non diu ibi manserunt. Unde conjectura est, ipsos ante annum 820. Constantinopolim non venisse.

## §. XXXIV.

*Papa Catholicos confirmat.*

Theodotus Patriarcha Constantinopolitanus suo nomine Paschali Papæ scripsit, misitque Apocrisarios, quibus Papa adhuc longe distantibus nunciari jussit, ne in conspectum suum venirent. Ob hoc factum gratias egit Pontifici S. Theodorus Studita, data Epistola, in qua dicit: *Vos igitur illimis ac sincerus ab initio fons orthodoxæ veritatis, Vos adversum omnem Hæreticam procellam tranquillus sepositus portus, Vos a Deo electa Civitas refugii & Salutis.* Hanc Epistolam Epiphanio discipulo suo defendendam tradidit, adjecitque aliam ad Methodium Nicephori Patriarchæ Romæ Apocrisarium. Erat Methodius natione

ep. 15.

vit. ap. Boll.  
10. Jun.  
p. 962.



ne Siculus, natus Syracusis parentibus Sæculum IX.  
nobilitate & opulentia spectatissimis. A. C. 817.

Puer Grammaticam didicit, historiam,  
& artem scribendi Notis. Cum ad æta-  
tem virilem pervenisset, Constantinopo-  
lim se contulit cum magna pecuniæ vi-  
munia & Dignitates cogitans, quas con-  
secutus in Aula splendide viveret. Ta-  
lia mente volventi quidam Sanctus Mo-  
nachus, cui sua crediderat consilia, sua-  
sit, ut potius Bona æterna sectaretur, ei-  
que obsecutus Methodius in Monasterio,  
quod vulgo *Chenolac* appellabant, a S.  
Stephano sub Leone Isauro fundato, Mo-  
nachum professus est. Itaque Legatio- Boll. 14.  
nem Romanam haud gravate in se susce- Jan. p. 976.  
pit, quo persecutionem Leonis Armeni  
effugeret; nihil vero eorum, quæ ad ob-  
servantiam Monasticam pertinent, in hac  
profectione omisit.

Paschalis Papa missis Legatis, datis-  
que Epistolis, quibus Imaginum causam  
fulciret, nihil effecit, nisi quod Catholi-  
cis animos addiderit, cum cernerent,  
primam Ecclesiæ Sedem Doctrinæ suæ  
suffragari. Ceterum Papa Romæ S. Pra-  
xedis Ecclesia, quæ ruinam minabatur,  
reparata, & multis Sanctorum corpori-  
bus ex collapsis & desertis Cæmeteriis  
in eam translatis, ibidem fundavit Mo-  
nasterium Græcorum, ubi diu noctuque  
Officium Divinum patria lingua canta-  
bant.



**Sæculum IX.** bant. Istud Monasterium illorum in pri-  
**A. C. 818.** mis bono conditum creditur, qui perfe-  
 cutionem fugientes Romam recurre-  
 bant.

Pontifex huic Monasterio Reditus  
 sufficientes partim ex agris, partim ex  
 domibus contulit, Ecclesiam S. Praxedis  
 magnifice ornavit, & Ciborium seu Um-  
 braculum ex argento octingentarum li-  
 brarum super Altare obtulit.

## §. XXXV.

*Bernardi Regis Italiae seditio.*

**Eginh. an.** Inter hæc Bernardus Rex Italiae, indi-  
**817. 818.** gnans, quod Lotharius coronatus fuis-  
 set Imperator, a Ludovico Imperatore  
**Astronom.** Patruo suo deficere ausus est. Cum  
**Theg. c. 22.** vero Ludovicus collecto promptissime  
**23. 24.** exercitu in eum movisset, seditiosis in  
**Chro. Moiss.** diversa sparsis, Bernardus cum consociis  
**817.** sui deditionem fecit. Id anno octingen-  
 tesimo decimo septimo contigit. Anno  
 autem sequente Aquisgrani iudicio in  
 eos actum est, & quamvis Francorum  
 Conventus eos dignos mortis pronun-  
**Coint. an.** ciasset, Imperatori satis poenæ visum, si  
**818. n. 5.** reis oculi eruerentur. Ex hoc cruciatu  
 Bernardus post elapsam triduum extin-  
 ctus est, postquam regnasset annis qua-  
 tuor & mensibus quinque, ex quo eum  
 Carolus Magnus Avus suus Regem de-  
 clarasset. Episcopi tres ipsius seditione  
 impli-



impliciti a Confratribus suis depositi, & in Monasteria detrusi. Hi fuere Anselmus Mediolanensis & Wulfoldus Cremonensis, ambo Bernardi Subditi, & Theodulfus Aurelianensis, in Longobardia natus. Ludovicus Imperator, cum metueret, ne tres fratres sui adolescentes Drogo, Hugo, & Theodoricus ad simile facinus a quoquam impellerentur, rastos in Monasteria inclusit.

Sæculum IX.  
A.C. 818.

§. XXXVI.

*S. Eigil Abbas Fuldenfis.*

Sub idem circiter tempus Ratgarus Abbas Fuldenfis depositus. Is, nobilifirpe in Germania natus, Baugulpho S. Sturmii Successori anno octingentesimo secundo in Regimine Abbatiali susceptus, Monasterium mire ornavit & literas coluit. Sed cum aspera conversatione Fratribus invisum se reddidisset, jam anno octingentesimo undecimo Carolum Magnum adierunt, & oblato Libello supplici articulos plures contra Abbatem suum detulerunt. Inter alia querebantur; ipsum dies Festos abrogare, ut eo magis labor manuum augeretur, nulla commiseratione in senes & infirmos tangi, condere ædificia superflua, hospitem curam negligere, & in suscipiendis Novitiis, priusquam mores eorum probarentur, nimis esse facilem. Carolus

*vita Eigil.*  
*to. 5. Act. p.*  
*227. ibid.*  
*p. 260.*



**Sæculum IX.** **A. C. 818.** rolus Magnus Imperator causam hanc  
discutiendam commisit Riculfo Archie-  
piscopo Moguntino & tribus aliis Epis-  
copis, qui has turbas ad tempus breve  
composuerunt. Sed iterum excitata est  
tempesta domestica regnante Ludovi-  
co, qui Monachos ex Occidente (id est  
ex Gallia) illo misit. Hi Ratgaro Abba-  
te anno octingentesimo decimo septimo  
deposito tranquillitatem in illud Mona-  
sterium reduxerunt.

Tunc ergo Monachi, impetrata ab  
Imperatore alium Abbatem eligendi li-  
centia, unanimi consensu Eigilum, Se-  
nem venerabilem, S. Sturmii Discipulum,  
cujus etiam vitam scripsit, elegerunt.  
Eum in Norico natum parentes, S. Stur-  
mium affinitate sanguinis contingentes,  
adhuc adolescentulum eidem tradide-  
rant, in illius Monasterii schola institu-  
endum. Itaque reluctanter atque sen-  
ectutem & infirmam valetudinem obji-  
cientem, ad Imperatorem deducunt;  
quo electionem approbante, Heistulfus  
Riculfi in Sede Moguntina Successor ei-  
dem Benedictionem Abbatum contulit.  
Id actum anno octingentesimo decimo  
octavo. Eigili Regimen lenissimum  
fuit, nihil enim sine consilio fratrum fa-  
ciendum suscipiebat. In Natali Domi-  
ni suis manibus ad mensam accumben-  
tibus serviebat, ut exemplum humilita-  
tis



tis præberet. Imo ab Imperatore obtinuit, ut Ratgarus ipsius Antecessor ab exilio revocaretur, & tandem postquam Monasterium, quod pacificaverat, rexisset annis quatuor, anno octingentesimo vigesimo secundo in Domino obdormivit.

Sæculum IX.  
A. C. 819.

Anno octingentesimo decimo nono ineunte Ludovicus Imperator in Comitibus Aquisgrani celebratis Legi Salicæ aliquot Articulos addidit. Qui ad Religionem spectant, sunt sequentes. Cæcis in Ecclesiæ patrata mortis pœna puniatur, nisi quis moderamen inculpatae tutelæ probet; quod si ita sit, pecunia ex pacto danda in Ecclesiæ ærarium conferatur, præter mulctam principi pendendam. Si sanguis Clerici in Ecclesia effusus fuerit, mulcta augeatur in triplum, quam si reus solvere nequeat, Ecclesiæ Servus fiat. Qui virum pœnitentiam publicam agentem interfecerit, mulctam Regi pendat in triplum, præter pecuniam propinquis pactam. Qui capillos pueri raserit, aut puellam invitis parentibus velaverit, mulctam in triplum solvat, & parvulus suam retineat libertatem. In alio hujus anni Capitulari Mandatariis & Procuratoribus in Provincias missis præcipitur, ut curent Ecclesias reparari, Decimas solvi, atque

*Eginh. ann.*  
*astronom. to.*  
*1. cap. p. 597.*  
*c. 1.*

*c. 2.*

*c. 5.*

*c. 21.*

*Cap. 6. n. 4.*  
*9. 10.*



Sæculum IX. atque Episcopos electos sine dilatione  
A. C. 819. consecrari.

## §. XXXVII.

*S. Theodori Studitæ ærumnæ.*

*vit. n. 87.* In Oriente Iconoclastæ persecutioni finem non faciebant. S. Theodori Studitæ in Arce Metopenfi detenti fama multos hospites attraxit, qui iter facientes ad eum divertebant. Nec eos arcebant Custodes, tum S. Viri reverentia, tum muneribus, quæ accipiebant, deliniti. Quidam ex Asia Clericus, qui, etsi esset Iconoclasta, viri virtutem maximi faciebat, cum ei fuisset collocutus, non modo errorem dedoctus est, sed etiam usque adeo veritatis amore incensus, ut alios quoque convertendi desiderio flagraret. Domum reversus quemdam Clericum, amicum suum, in suam pertraxit sententiam. Itaque ambo statuunt non amplius communicare cum Episcopo suo, quod ad Hæreticorum partes transisset. Episcopus rem defert ad Imperatorem & Orientis Præfectum, qui illico suorum aliquem ire, & Theodoro quinquaginta plagas flagello infligere iussit. *n. 88.* Qui missus fuerat, nolens hujus sævitæ minister esse, ad pedes S. Senis prostratus veniam inter lacrymas rogavit. Alius vero, cui nomen Anastasius, ad Imperatorem currit,



currit, accusans Præfectum, quod imperata facere neglexisset. Tum ut rei veritatem certissime sciret, ad Theodorum venit, corpus explorat, & cum nulla deprehenderet verberum vestigia, Sancto Viro plagas centum impingit, in carcerem caliginosum & foetentem unacum Discipulo suo Nicolao detrudit, duosque alios in diversos carceres abstrahit.

Theodorus integro triennio in suo ergastulo manere coactus est, in hyeme immodicum frigus, & in æstate calorem maximum tolerans, pediculorum aculeis vexatus, & fame sitique afflictus, nam nihil cibi ei dabatur præter panis frustillum, quo elapso demum biduo per ostiolum, insultantibus ministris, injiciebatur. Aliquando autem vir maxima Dignitate conspicuus per viam publicam, quæ loco proxima erat, iter faciens, cum S. Viri calamitatem a narrantibus intellexisset, jussit, ut ei ipsiusque Discipulo annona sufficiens præberetur.

Inter has vitæ suæ misérias Theodorus nihilominus modum scribendi Epistolas invenit; quippe plurimæ illo triennio scriptæ creduntur. In Epistola ad Naucratium Discipulum suum captivitatem suam describit in hunc modum:

*Postquam corpora nostra ad satietatem suam dilaniarunt, ambos in conclave superius miserunt, clausa est janua, & scæ-*

Sæculum IX.  
A. C. 819.

#. 90. 93,

#. 92.

II. ep. 34.

rus in carcere.

Hist. Eccles. Tom. XI. H la



**Sæculum IX.** *la remota. Positi sunt custodes, qui accedentes pellant, imo cuncti, qui Arcem ingrediuntur, curiose observantur. Severe prohibitum, ne quis nobis aliud quam panem & lignum det. Illo sustentamur, quod nobiscum attulimus, & quod nobis post longam moram per fenestram immittitur. Quamdiu annona nostrorum, & quod ostiarii hebdomadarii charitativè clam nobis congerit, sufficiet, vivemus, bis deficientibus, moriemur. Neutiquam tamen a bono Deo pro meritis nostris prevariamur.*

**II. ep. 59.**

In alia Epistola S. Theodorus consolatur Congregationem triginta Virginum Religiosarum, quæ e suo Monasterio pulsæ, virgis cæcæ, & a consueto consortio abstractæ in carceribus detinebantur.

**S. Theodori Epistolæ.**

Monasterii Studiensis quoque Alumnis in diversa sparsis, illa Domus, & quæ vulgo *Sacudion* dicebatur, datæ sunt uni ex ipsis Monachis, homini emasculato,

**ep. 31. 37.**

nomine Leontio, qui Mœchianorum factioni se addixerat, & tunc Iconomachorum Principibus adnumerari meruit. Hujus Monachi ruinam S. Theodorus in pluribus Epistolis deflet, quod fratrum suorum persecutor evasisset. Ergo data Epistola S. Abbas afflictis Monachis solatium afferre conatur, & Jacobi, Confratris ipsorum, in carcere ex acceptis verberibus mortui Elogium concinnat.

Item



Item datis litteris Monachos dispersos non solum in Fide, sed etiam in bonis moribus confirmavit. *Fugiamus, inquit, mortifera concupiscentiæ tela! attendamus, quale sit nostrum contubernium; si locus est periculosus, migremus alio. Si scandalum adsit, tollatur. Si, solos esse, nocet, accersamus socium, cum maledictus sit ille, qui solus manet sine necessitate. Cetera omnia solerter observanda, cibus, potus, somnus, labor, atque ita reficiendum est corpus, ut spiritui resistere non audeat.*

S. Theodorus privatas quoque Epistolas dedit ad Episcopos Exules, videlicet ad Theophylactum Nicomediensem, ad Theophylactum Ephesinum, Petrum Nicenum, ad Fratrem suum Josephum Archiepiscopum. Præterea iisdem scripsit Epistolam simul ad omnes directam, in qua rogat, ut se consolentur, & erudiant. *Per litteras docete me, inquit, quomodo Iesus Christus in imagine sua adorandus sit. An sit alterius generis adoratio, ac ea, qua ipsemet adoratur, quod dicunt Hæretici, aut an sit eadem adoratio, quod nos dicimus? ne forte imaginis materiam adorem.*

## §. XXXVIII.

*Regulæ de Pœnitentia.*

Sanctus Theodorus in pluribus Epistolis

H 2

agit

Sæculum IX.

A. C. 819.

ep. 58.

ep. 100.

ead. ep. 37.

Eccles. 4. 10.

II. ep. 4. 26.

41. 70. 25.

101. 9. 31.

ep. 87.



Sæculum IX. agit de modo illos recipiendi, qui in hac  
A. C. 819. persecutione lapsi erant. *Si de Corpore  
 nostro sunt*, inquit (id est de Congrega-  
 tione Monachorum suorum) *nostrum est,*  
*ipsis adhibere remedium.* Ergo pæniten-  
 tiam recipiant, a me Ovesti injunctam,  
 nimirum, Rerum Sacrarum Communio-  
 ne privati sint. *Si quæritis, quamdiu*  
*usque ad persecutionis finem.* Verum,  
*dicitis, si interim urgeat mortis pericu-*  
*lum? tunc communicent.* Speramus fo-  
 re, ut remittatur eis hoc peccatum. Ipsi  
 enim non sunt eo modo recipiendi, sicut  
 illi, qui ab Hæresi convertuntur, sed tan-  
 quam tales, qui negarunt Nomen Domi-  
 ni, aut ad illud negandum cum Iconocla-  
 stis communicarunt; quia, ut docet S. Ba-  
 silius, contemptus imaginis ad ipsam Per-  
 sonam refertur. Aliud dicendum de il-  
 lis, qui nunquam fuerunt Catholici, &  
 ad nos veniunt, ut primum Veritas eo-  
 rum animis illucescit. Quamvis nec isti  
 facile, sed ex multorum virorum Cat-  
 holicorum consilio & sententia sint admit-  
 tendi. Quod si, ut vobis videtur, sine  
 pænitentia recipiendi sunt, qui cum Hæ-  
 reticis communicarunt, cur me ipsum tot  
 periculis exposui? At rursus objicitis:  
 Ipsi recipere Catholicos ad se venientes  
 gaudent, & nullam eis pænitentiam in-  
 jungunt. Si bene faciunt; ergo etiam a  
 nobis



nobis illi, qui *Jesum Christum negarunt*, *Sæculum IX.*  
*magno bonore excipiendi erunt?* *A. C. 819.*

Quod spectat ad illos, qui nostræ Congregationis non sunt, quis sum ego, ut eis Regulas præscribam? Si autem volunt, ut ex lege Charitatis edicam, quid sentiam, idem ipsis, quod nostris faciendum puto. Si Presbyter metu perturbatus Edicto impiorum subscripsit, aut cum Hæreticis communicavit, Communione privetur. Si Interdicto a suis functionibus remotus fuit, Concilii erit, ipsum restituere. Si quis post lapsum denuo resurgens contra inimicos fidei pugnaverit, non ideo tamen suo arbitrio pristinum gradum occupet, sed tam ipse quam alii meminerint, lapsum fuisse. Si palam & fortitudine singulari decertaverit, nihil tamen aliud quam sola Communio ei concedatur. Cum vero illius, qui pœnitentiam injunxit, sit etiam aliquid addere vel demere, si persecutio non cesset, pensata culpæ gravitate, & pœnitentis fervore, absolvi poterit, antequam Synodus congregetur. Ceterum non sit vetitum cum talibus manducare, si modo ipsi Benedictionem ciborum non pronuncient.

S. Theodorus consultus a Presbytero, quem subscripsisse Decreto contra Imagines pœnitebat, respondet primo, non debuisse ipsum ad se recurrere, sed ad Episcopos. Deinde suadet, ut a functio-



Sæculum IX. nibus Sacerdotalibus penitus abstineat,  
 A. C. 819. nisi forte durante persecutione cuiquam

Communionem præbere necesse fuerit.

Pœnitentia  
 antiqua.

*Verum, inquit, nullus Episcopus solus concedere tibi valet, ut munere Sacerdotali plene fungaris, sed Auctoritate Concilii opus est. (\*) Quod vero dicis, te cum subscriberes, clamasse: Adoro Sanctas imagines; respondeo, etiam Pilatum ore professum fuisse, se esse innocentem morte Jesu Christi, sed scripto ipsum condemnasse. In alia Epistola docet, Presbytero, qui cum Hæreticis communicavit, annum unum alterumve a Communionem abstinendum, & in eorum Ecclesias intrare non oportere. Alius Presbyter cum Episcopo Hæretico cibum ceperat. Ad hoc factum, si ab ejus mensa recedat, inquit, munere suo iterum fungi poterit, postquam aliquamdiu pœnitentiæ causa abstinerit. At vero ut ut maxima offerat reus, nunquam tamen propter ea, quæ offert, concedenda est ipsi absolutio. Ita enim dum absolvens alteri lucem affert, ipse tenebris obvolvitur. Tandem quæ metu impellente facimus, voluntate nostra fiunt, cum prohibitum sit, illos timere, qui corpus occidunt.*

(\*) Hodie, cessantibus Conciliis, Episcopus & quibus ille potestatem absolvendi dederit absolunt.



In illa Epistola præterea sequentes regulas legere est; Si quis Catholicus accusatus, quod cum Hæreticis non communicet, signum Crucis fecerit, ut profiteretur, se cum eis communicare, nihil ei amplius negotii faceissentibus Hæreticis, dimidium huic subeundum pœnæ quæ ei statuitur qui plane Hæresi communicarit. Si quis Presbyterum latitantem Hæreticis prodiderit; ut proditor veritatis in pœnam anno uno a Sacris abstineat. Si quis juraverit, se imagines non adoraturum, & post jusjurandum occulte adoret; tribus annis ille Divinis Mysteriis arceatur, & sciat, se clementissime haberi. Si quis aliquam imaginem deleverit; per annum a Communionem prohibeatur.

Sæculum IX.  
A.C. 819.

ep. 40.

Potest aliquis recte, dum peccata pœnitentia expiat, adscivere sibi socium ad levationem pœnæ, sed suo arbitrio eleemosynis non potest quidquam ex eo subtrahere, quod est definitum. Nam qui pœnam irrogat, novit omnino & personam & tempus & adjuncta perpendere, ut relaxet. Quoniam omnia Canones comprehendere non potuerunt. Plagæ dorso exceptæ aut alii pro Fide tolerati cruciatus maximorum peccatorum pœnam diminuunt; omnia tamen sunt in arbitrio illius, qui pœnam injunxit. Qui sua voluntate lapsi sunt, vel solo

ep. 45.

ep. 49.

H 4

metu)



Sæculum IX. metu, tribus annis pœnitentiam subeant, A. C. 819. & non communicent. Si verbera sustinerint, duorum annorum sit pœna, si ex ignorantia peccaverint, pœna sit unius anni. Non licet cum Hæreticis cibum sumere ullo modo, aut cum Catholicis, qui cum Hæreticis communicant, nisi casu aliquo necessario semel aut iterum. Non licet salutem dicere Hæreticis, aut eorum Oblationes recipere. In his Epistolis S. Theodorus sæpe dicit, non ipsius sed Episcoporum esse, hæc definire, quæ vero ipse suggereret, consilia esse non præcepta.

Tandem S. Theodorus sperans se in illa persecutione moriturum, edidit testamentum ad modum Epistolæ, quam fratribus suis absentibus scripsit. In ea rogat fratres, ut sibi veniam errorum in Regimine suo admissorum concedant, & pro se orent. Declarat deinde, se quantum in ipso esset ignoscere Leontio & ceteris Apostatis, & mandat fratribus, ut lapsis Dei iudicium denuntient, quod ipsis gravissimum immineret, nisi pœnitentiam agerent. Alia quoque multa scripsit in suo carcere, otio sibi concesso sapientissime usus. Inter hæc sunt vitæ quorundam Fratrum suorum versibus conscriptæ, quas Naucratio Discipulo suo misit.

*Oper. init.  
p. 80. 11. ep.  
61.*



## §. XXXIX.

Sæculum IX.  
A. C. 819.*Ærumnæ Theodori recentiores.*

Cum Epistolarum istarum Catechetica-  
rum una devenisset in manus Impe-  
ratoris, illico ad Orientis Præfectum mi-  
sit, qui mandarent; tanto rigore Theo-  
dorum castigaret, ut timore percussus  
deinceps litteras exarare non auderet.  
Præfecti Tribunus Epistolam ostendit  
Theodoro, qui signum cognovit. Tum  
jussit Nicolao Theodori Discipulo, qui  
eam scripserat, multas plagas, & ipsi Theo-  
doro centum flagello infligi. Redit  
deinde ad Nicolaum & denuo renova-  
tis vulneribus acriter verberat. De-  
mum humi prostratus relinquitur gelido  
aere. Nam ista mense Februario fie-  
bant. Theodorus quoque Abbas in ter-  
ra jacens & anhelans diu nec quietem  
nec cibum capere potuit. Ejus vero  
Discipulus videns carissimi patris angu-  
stias, proprii doloris immemor linguam  
arentem affuso juscule refocillavit; cum-  
que sic abeuntem spiritum revocasset,  
vulnera ejus curare cœpit, usque adeo  
liventia, ut ex multis carnem arentem  
& corruptam exscindere coactus sit.  
Theodorus immensis febribus correptus  
per trium mensium spatium intolerandis  
doloribus conflictatus est; quibus nec-  
dum remittentibus adest Dux cohortis

*vita. c. 23.**vit. Nicol.**p. 910.**Theod. II.**ep. 38.**vit. n. 95.*

H 5

ab



Sæculum IX. ab Imperatore missus, qui adveniens nihil prius habuit, quam ut omnes carceris angulos & cavos scrutaretur, ut inveniret pecuniam, quam ab illis, qui S. Virum invisebant, afferri non dubitabat. Cum quærendo operam perdidisset, in Magistrum Discipulumque conviciis & verberibus debachatus eos Smirnam celerime proficisci compellit. Id circiter mense Junio anno octingentesimo decimo nono factum. De die iter strenue profequi cogebantur, & nocte injiciebantur compedes; ubi autem in illam civitatem pervenerunt, in manus Archiepiscopi Smirnenfis Iconoclastarum principis traduntur. Is Theodorum in specum obscuram & subterraneam misit, ubi mensibus octodecim degit, & jam tertium in corpore debilitato centum plagas excepit. Theodorus nihilominus etiam ex isto loco datis ad Discipulos suos & speciatim ad Naucraticum Epistolis præter alia dicit, se maxima lætitia percepisse, quod Papa ad defendendam bonam causam Constantinopolim scripsisset. Tandem Archiepiscopus Smirnenfis Constantinopolim profecturus jamque accinctus itineri ad S. Virum dixit; rogaturum se Imperatorem, ut Ducem mitteret, qui ejus caput aut linguam saltem refecaret.

*ep. 71.*  
*vit. c. 3. n. 23.*  
*ap. Boll. to. 7.*  
*p. 222.*

Interim



Interim Theophanes Abbas Singria-  
 nensis, quamvis ægrotaret, Constanti-  
 nopolim deducitur. Imperator, post-  
 quam ad eum pervertendum frustra o-  
 peram consumpsisset, Joannem Lecono-  
 mantam, Sophistam inter Iconomachos  
 facile primum, in eum immisit, & ipso  
 quoque devicto, jussit Imperator S. Ab-  
 batem in Palatio Eleutherii angusto car-  
 cere detineri, ubi per biennium commo-  
 rari cogitur, ipsius morbo (difficultate  
 urinæ & calculo laborabat) nimium quan-  
 tum ingravescente, cum omni medici-  
 na esset destitutus. Inde devectus in In-  
 sulam Samothraciam tribus tantum Se-  
 ptimanis vitam traxit, & migravit ad Cæ-  
 lum anno circiter octingentesimo deci-  
 mo nono duodecima Martii, qua die Ec-  
 clesia ejus memoriam colit.

Sæculum IX.  
 A. C. 819.

Mart. Rom.  
 12. Mart.

§. XL.

*Leonis fata. Michael Imperator.*

Tandem Imperatoris truculenta cædes  
 finis persecutionis fuit. Nam Mi-  
 chael Dux Fœderatorum (ita certæ co-  
 hortibus dicebantur) immanem crudelita-  
 tem non ferens Imperatori insidiabatur,  
 & parta olim fortitudinis laude tumens  
 quotiescunque de Leone sermo incide-  
 bat, linguæ neutiquam temperabat. Leo  
 furentem comprehendi jubet in vigilia  
 Natalis Domini anno octingentesimo vi-  
 gesimo,

Scrip. post  
 Theoph. 21.



Sæculum IX.  
A. C. 820.

gesimo, & quæstione, cui ipse adesse sustinuit, ne in unam quidem diem dilata, convictum ad ignem condemnat, & præcipit in fornace balnei, quod in Regia erat, vivum se præsentem comburi. Jamque eadem die parabatur supplicium, cum Imperatrix Theodosia accelerat gradus, & cum marito iurgatur, quod nullam reverentiam haberet sanctissimo Festo, quo Domini Nostri Corpus accepturus esset. Ne igitur iram Dei in se concitaret, Leo Michaelem *Papiae* seu Regiæ Præfecto custodiendum tradit, vinculis ferreis pedes adstrictum, apud se clavem servans. Ad uxorem vero conversus ait: *Jam quidem a peccato isto me cobibes; sed tu & filii tui pœnas dabit is illi ipsi, cujus mortem differri postulas.*

Imperator editis oraculo fortibus turbabatur, & præsertim malum omen capiebat ex signis opere miniato in libro Bibliothecæ Imperatoriæ exhibitis, ubi futurorum Imperatorum fata notis mysticis adumbrata dicebantur. Inde noctem illam insomnem exigens perrupta, qua ad Papiam ibatur, portula domum ejus intravit. Speculatus quid ibi gereretur, obstupuit videns, quod Papias humi, & Michael damnatus in thoro alte extructo jaceret. Propius accedens,prehendit eundem non anxie



xie noctem ducere, sed tranquillo sopore, vincitum periculi sui immemorem. Sæculum XI.  
A. C. 820.

Discessit utrique ruinam structurus. At unus excubitorum, qui Imperatorem ex puniceis cothurnis agnoverat, rem Michaeli & Papiæ indicat. Itaque perterriti de effugiendo periculo deliberant. Simulat Michael se latentes animæ maculas velle confiteri, mittitque quemdam nomine Theoctistum, qui ab Imperatore licentiam peteret. Quod cum Imperator permisisset, Theoctistus non Confessarium sed conjuratos adit, denunciaturque, nisi Michaellem celerrime discrimini eriperent, omnium consciorum nomina ad Imperatorem delaturum. Ipsi in arena consilium arripiunt. Mos erat, ut Clerici in sua quique domo habitantes circa tertiam noctis vigiliam in templum progredierentur ad cantandas nocturnas Dei Laudes. Iis tum conjurati Clericos vestitu mentiti se permiscentes, pugionibus subter alas occultatis intrant, & per tenebras latitant, tesseram expectantes. Erat vero illa tessera versus, qui reddi potest in hunc modum: *Sprevere summi cuncta amore Principis.* Nempe initium Hymni in laudem trium puerorum in fornace Babylonica illæso- rum, quem Græci hodieque in eodem Officio matutino diei Natalis decantant. Hunc Leo Imperator ipse cantare solebat,

*Menol. 25.  
Dec.*



Sæculum IX. bat, tam amœna enim & grandi voce  
 A. C. 820. a natura præditus erat, ut illo ævo ne-  
 mo magis.

Leonis Ar-  
 meni fatum.

Ubi igitur Imperator Hymnum in-  
 tonuit, conjurati confertim irrumpunt,  
 & primo per errorem invadunt Cleri-  
 corum Magistrum, sive quod is corpore  
 Imperatori similis erat, sive quod caput  
 simili tegumento velaverat, quia perfrigi-  
 da cogebat tempestas capita tegere.  
 Sed is quidem detracto pileo & ostensa  
 calvitie periculo se subtraxit, Impera-  
 tor autem in penetrabile Altaris se reci-  
 pit, & arrepta pro clypeo sancta Cruce  
 primos ictus depellit. Sed tot aggressoribus par esse non potuit. Itaque a-  
 liquis gigantæ staturæ infeliciter pu-  
 gnantem ita cæcidit, ut brachium una-  
 cum humero abstulerit. Alius vero ca-  
 put amputavit. His Leonis Armeni e-  
 xitus fuit, (\*) postquam solium occupas-  
 set annis septem & quinque mensibus.  
 Corpus per urbem raptatum & in Hypo-  
 dromum projectum. Quatuor filii na-  
 vigio cum matre impositi in Insulam Pro-  
 tam avehuntur, & ibi emasculantur.

Michael

(\*) Hunc exitum fortitus est Leo Armenus,  
 qui ut supra §. XI. vidimus, sperabat diu vivere  
 & Imperium in filium suum & nepotes usque  
 ad quartam generationem transmittere, si Cul-  
 tam Imaginum eliminaret.



Michael vero e carcere Papiæ liberatus, ut erat ferreis compedibus adstritus in folio confidet, & ab omnibus, qui tunc in Palatio aderant, Imperator salutatur. Sub meridiem, vix malleo diffisis compedibus, adhuc illotus, nec ulla alia re, quam decebat fieri, peracta, ad magnum S. Sophiae templum procedit, cupiens manibus Patriarchæ coronari, & ab universo populo Imperator adorari. Natus erat Michael Amorii superioris Phrygiæ urbe, Balbus ab impedita lingua dictus.

Sæculum IX.  
A. C. 820.

Haud multo post tempore Fortuna-  
tus Patriarcha Gradensis Constantinopolim confugit, coram Ludovico Imperatore accusatus, quod seditioni a *Liudovico* Duce Pannoniæ commotæ faveret.

*Egin. au. 821*

Sub illud tempus Corpus S. Marci Alexandria Venetias Urso Episcopo Olivolensi, & Justiniano Duce, fuisse translatum creditur. Habemus quidem huius facti historiam permultis adjunctis descriptam; sed de ejus antiquitate periti dubitant, & Venetiis exacte non scitur locus, quo Reliquiæ illæ conditæ sint. Illud vero omnibus notum, quod Respublica S. Marcum Patronum suum veneretur.

*ap. Baron.*

*to. 9. an 820.*

*n. 29. Boll.*

*25. Ap. to. II.*

*p. 353.*

*Tillemon. to.*

*2. p. 554.*



Sæculum IX.  
A. C. 820.

§. XLI.

*Inventio S. Cæciliæ.*

*Conc. to. 4. p.  
136. Anast.  
in Paschal.*

*Sup. Lib.  
XLIII. §. 16*

Romæ inventum est Corpus S. Cæciliæ Martyris. Jam anno quingentesimo Ecclesia in Urbe a S. Cæcilia dicta, & unius Presbyteri Titulus, stabat, quam collapsam cum Paschalis Papa reparare cœpisset, maxima sollicitudine de inveniendō S. Cæciliæ corpore tenebatur, quod crederetur a Longobardis ablatum cum pluribus aliis, quæ olim sub Rege Aistulpho anno septingentesimo quinquagesimo quinto urbem obsidentes ex Cæmeteriis Romanorum furati fuerant. Ecce autem, quadam die Dominica Paschali Papæ in Basilica S. Petri de more vigiliis celebranti & forte somno depresso apparuit S. Cæcilia, atque edocuit, a Longobardis corpus suum inveniri non potuisse, sed futurum, ut Pontifex illud inveniret. Nec fefellit Paschalem hæc visio; nam Corpus Virginis invenit in Cæmeterio Prætextati via Appia aureis indutum vestimentis, pariterque lintamina Sanctæ Martyris cruore imbuta. Simul Valerianus Virginis Sponsus inventus, & utriusque Reliquias Papa Romanam in Ecclesiam S. Cæciliæ unacum corporibus Tiburtii, Maximi Martyrum, itemque Urbani & Lucii Pontificum transferri jussit.

De

117. 2



De his Sanctis omnibus, si Lucium <sup>Sæculum IX.</sup>  
 excipias, occurrit mentio in Actis S. Cæ- <sup>A. C. 821.</sup>  
 ciliæ, quæ licet hac Translatione anti- <sup>ap. Sur. 22.</sup>  
 quiora videantur, recentiora tamen sunt, <sup>Nov.</sup>  
 quam ut fidem plene mereantur. Inde  
 nec tempus, nec locum, quo illustrissima  
 Virgo Martyrium passa est, accurate sci-  
 mus. Paschalis Papa in honorem San- <sup>Tillemont.</sup>  
 ctorum istorum prope Ecclesiam S. Cæ- <sup>to. 3. p. 260.</sup>  
 ciliæ fundavit Monasterium, in quo Mo- <sup>689.</sup>  
 nachi Officium Divinum diu noctuque  
 celebrarent. Hanc Ecclesiam munifice  
 ornavit conferens vasa argentea plus-  
 quam nongentarum librarum: Præter a-  
 lia Ciborium seu Tabernaculum quin-  
 gentarum librarum, magnam vim vela-  
 mentorum, & pretiosorum textilium,  
 quorum aliquod Angelum S. Cæciliæ,  
 Valeriano, & Tiburtio coronas imponen-  
 tem exhibebat. Unde videmus, quod  
 illa tempestate Actis memoratis fides ha-  
 bita sit.

## §. XLII.

*S. Benedicti Anianensis obitus.*

In Francia S. Benedictus Anianensis eo- <sup>vit. n. 50. 52.</sup>  
 dem anno octingentesimo vigesimo <sup>to. 5. Act. B.</sup>  
 primo e vita migravit, postquam Fratres <sup>p. 211.</sup>  
 Monasterii sui Indensis prope Aquisgra-  
 num ad eum perfectionis Regularis gra-  
 dum perduxisset, ut Monachi ex diver-  
 sis mundi partibus illuc advenientes non  
*Hist. Eccles. Tom. XI. I ver-*



Sæculum IX.  
A.C. 821.

verbis, sed ipso exemplo & factis ad pietatem Monasticam informarentur; quippe Monachorum illorum habitus, incensus, modestia hospitibus pro salutari doctrina erat, nec quidquam de iis omnibus, quæ in Conventu Abbatum anno octingentesimo decimo septimo placuerant, negligebatur. Præterea Benedictus in Monachorum subsidium omnium Regularum Monasticarum collectionem edidit, quæ nota est sub nomine Codicis Regularum, & dividitur in tres Tomos, quorum primus Regulas Monachorum Orientis, secundus Monachorum Occidentis, & tertius Sanctimonialium complectitur. Scripsit etiam Regularum concordiam, in qua omnes ad Capita Regulæ S. Benedicti per modum Commentarii referuntur.

• 56.

Quamvis Benedictus multis attereretur infirmitatibus, nihilo tamen minorationi & lectioni insistebat, semper genæ lacrymis madebant. Quatriduo antequam moreretur in Palatio erat Imperatoris, quem suis consiliis de more adjuvabat. Ubi febre se correptum sensit, ad domum, quam Aquisgrani habebat, se recepit. Tum vero tanta Episcoporum, Abbatum, ac Monachorum adfuit frequentia, ut Monachi ejus familiares ad præstanda obsequia accedere non possent. Primus omnium venit Helisachar



Helifachar Abbas, qui ei usque ad supremum  
 halitum assidue adhæsit. Sub noctem  
 misit Imperator quemquam sibi a cubi-  
 culis cum mandato, ut Benedictus ad  
 suum Monasterium deduceretur. Ubi  
 illuc pervenit Benedictus omnes exire  
 præcepit, & horis tribus solus perman-  
 sit. Post hæc admissus Helifachar cum  
 Præposito Monasterii percontatus est ut  
 se haberet? ille nunquam se melius ha-  
 buisse respondit, seque inter Choros San-  
 ctorum coram Domino adstitisse. Alte-  
 ra die vocatis Fratribus monita saluta-  
 ria dedit, inter alia confessus, se ab an-  
 nis quadraginta octo, ex quo Monachus  
 fuisset, nulla unquam die, nisi præmissis  
 coram Deo lacrymis, cibum sumsisse.  
 Ipsa die Imperatori & aliis quibusdam  
 scripsit nempe Georgio Abbati Anianen-  
 si, & Nebridio Archiepiscopo Narbonensi.  
 Imperatori monita dedit, ab aliis postu-  
 lavit pro se orari. Tandem Spiritum  
 emisit, annos natus septuaginta, undeci-  
 ma Februarii anno 821. Indictione deci-  
 ma quarta. Vitam ipsius scripsit Ardon  
 Smaragdus ejusdem Discipulus. Anno  
 sequente cum Tructesindus Abbas Ania-  
 nensis electus fuisset, Ludovicus Impe-  
 rator electionem confirmavit datis litte-  
 ris, in quibus hortatur Monachos, ut  
 Disciplinam a Benedicto invec̄tam serva-  
 rent, & suum iis promittit præsidium.

Sæculum IX.

A. C. 821.

To. I. capit.

p. 623. Ma-

bill. to. 5. Act.

B. p. 192.



Sæculum IX.  
A. C. 821.

§. XLIII.

*Michael Exules revocat.*

*vit. S. Theo.  
Stud. n. 102.*

In Oriente novus Imperator Michael relegatos ab exilio revocavit; quamvis enim ipse Imagines non adoraret, quemlibet tamen, quod lubebat, credere patiebatur, ut neminem sibi haberet offensum. Tunc igitur S. Nicetas Abbas Medicionensis egressus e carcere in suburbium Civitatis Constantinopolitanae venit, ubi exactis annis tribus mortem oppetiit die Dominica, tertia Aprilis, anno octingentesimo vigesimo quarto, & ad suum Monasterium delatus est. Ipsa obitus die Ecclesia ejus memoriam colit. S. Theophanis quoque corpus in suum Monasterium Singrianense revectum est. Eodem tempore S. Theodorus Studita cum aliis e carcere liberatus, postquam annis septem integris ab anno 815. usque ad annum 821. captivus fuisset, ad Michaellem Imperatorem dedit Epistolam, in qua gratias agit. In ea Catholicum esse præsumit, hortaturque, ut ad reducendam Ecclesiae pacem animum adjiciat. *Uniamur, inquit, vertici Ecclesiarum Romæ, (\*) & per eam*

(\*) His verbis sensum S. Theodori Studitæ ex Græco latinum reddit R. P. Sirmondus S. J. Prof.



*eam tribus Patriarchis.* In itinere Constantinopolim ubique magnæ reverentia signis excipitur, familiis & totis Congregationibus obviam procedentibus. Quisque felicem sortem sibi obtingere profitebatur, si ad se diverteret. Vitæ ipsius Scriptor aliqua hac profectio-  
ne ab eo edita miracula narrat.

S. Theodorus Calcedonem perveniens in-  
visit ad Nicephorum Patriarcham in suo Monasterio degentem, quia Constantinopoli esse non poterat, Adversario ipsius Sedem occupante. Is erat Theodorus *Cassitera* qui eodem anno 821. vitam finiit, postquam Patriarchæ Nomen annis sex gessisset. Successorem habuit Antonium Metropolitam Silæum, Iconoclastam fama notissimum, qui Sedem annis sexdecim tenuit. Inter ceteros qui ad salutandum Theodorum Abbatem venerant, adfuit Anachoreta, nomine Petrus, tractaturus cum Patre de sinistra fama, quam sibi conflabant æmuli ejus vitam & acta reprehendentes. Abbas Theodorus cognoscens,

I 3 Petrum

Profecto illustrissimum ab Oriente contra Protestantes æque ac ipsos Græcos testimonium! nempe Roma, id est S. Petri Cathedra, illud vinculum est, a Jesu Christo ordinatum, sine quo Communio Ecclesiastica demonstrari non potest. In Schismate autem nulla salus.

Sæculum IX.  
A. C. 821.

n. 103. 104.

n. 116.

Sup. n. 15.

n. 117.



Sæculum IX.

A. C. 821.

Petrum Divinæ gratiæ ope virtutem consecutum esse excellentem, *Novum hoc*, inquit, *ac penitus intactum vitæ genus paululum remitte; pane quo ceteri vescuntur, utere, & vino interdum cibisque aliis quantum libet; ut his vesci videre, fastumque ex inedia cibique abstinentia devites, nullaque in re carpi possis. Cessa nudis pedibus ingredi, quid id necessarium non est, sed per hyemem a frigore illæsum te serva.* Quæ cum ille in hunc modum suafisset, ejus vicissim accusatores verbis admonuit, ne tantum virum temere proscinderent, sed potius virtutem revererentur.

n. 118.

S. Theodorus Studita.

II.ep.86.

Cum autem una cum selectis Episcopis & Nicephoro Patriarcha convenisset Theodorus, omnes inter se consilium inierunt adeundi Imperatorem, eique preces offerendi, ut & ipsi proprias Ecclesias reciperent, & qui eas occuparent, hæretici pellerentur. Michael Imperator præcepit, ut parti adversæ colloquerentur. Porro hoc audito Catholici omnium Episcoporum & Abbatum nomine Libellum ei in responsum traderunt, ut creditur, a Theodoro compositum. In eo dicunt: *Quod si humanum quidpiam esset, de quo sermo est, & quod in potestate Patriarchæ vel nostræ situm, totum nos concedere oporteret. Cum autem de Deo agatur, cui*  
serviunt



serviunt omnia, non modo hic aut ille, Sæculum IX. A. C. 821.  
 sed neque si Petrus vel Paulus, neque  
 si Angelorum quispiam foret, mutare  
 aliquid, licet minimum, audeat; nam  
 ea ratione universum everteretur Ev-  
 angelium. Jam vero sermonem refel-  
 lendi causa cum Heterodoxis conferre  
 minime convenit. Quod si quid est e-  
 jusmodi, de quo ambigas, (\*) id Pa-  
 triarcha pie dissolvere poterit. Jube re-  
 cipi declarationem Veteris Romæ, prout  
 olim & ab initio (\*\*) paterna tradi-  
 tione transmissus mos fuit. Hæc enim  
 suprema est Ecclesiarum Dei, in qua  
 S. Petrus Sedem primus tenuit. Hæc vit. Method.  
 Declaratio non erat alia quam Epistola c. 1. n. 5.  
 Papæ Dogmatica, quam Methodius Mo- Boll. 14.  
 nachus Nicephori Patriarchæ Romæ A- Jun.

(\*) In Versione R. P. Sirmondi lego: De quo  
 ambigat aut diffidat divina ✠ Magnificentia ✠ † Scilicet  
 vestra. Mirum! quod Græci hac voce princi-  
 pem compellent.

(\*) Quid ad ejusmodi Testimonia Prote-  
 stans respondeat? Certe Theodorus Studita  
 ab universa Ecclesia Vir orthodoxus habebatur.  
 Nec minus certum est ex his ipsius verbis, quod  
 fuerit Papista. Ubi ergo, mi Protestans, illa  
 tempestate tua erat Antipapistica Ecclesia? Sed  
 si Caveum Anglum audimus; Theodorus Stu-  
 dites fuit homo Iconomania perditissime ad-  
 dictus, superbus, bipedum procacissimus. Opti-  
 ma refutatio!



**Sæculum IX.** pocrisiarius novissime attulerat. Is enim comperta Leonis Armeni nece, & A. C. 821. Exulum libertate, Constantinopolim rediit sperans, Michaellem Imperatorem ad Fidem Catholicam reduci posse, & Nicephorum in Sedem suam restitui. Michael Imperator accepta Papæ Epistola nihil respondit.

**II. ep. 199.** Ad idem tempus, quo Imperator colloquium inter Catholicos & Heterodoxos suadebat, referenda videtur prolixa Epistola Theodori, nomine Catholicorum dispersorum scripta, & ad Imperatores Michaellem & Filium ejus Theophilum directa, in qua Doctrinam de imaginibus, sine dubio ut Imperatorem edoceret, amplissime explicat.

**vit. Theod. n. 118.** Catholici in conspectum Imperatoris admissi exposuerunt, se ab Antecessore ipsius vim fuisse passos, sedibus suis expulsos; sacras imagines vero profanatas. Ille ad prolixam Patrum orationem respondit: *Tametsi, inquit, egregia & honesta sunt, quæ dixistis, mihi nequaquam sunt amplectenda, qui hæcenus imaginem nullam colui. Quocirca æquum est, me cum manere, qui fui, & vos pariter opiniones vestras sequi, per me enim licebit; sed imagines in Regia urbe a vobis erigi prorsus nolo.* Ex hoc responso Episcopi & Abbates cognoscentes, quod furdo fabulam canerent,



rent, & intelligere non valenti, statim Constantinopoli excefferunt. Cum Nicephorus Patriarcha quoque Michaeli Imperatori scripsisset, idem ille respondit, & pollicitus est, se eum in Sedem suam reducturum, si promitteret, Concilium Tarasii rejicere æque ac illud sub Constantino celebratum, eaque omnia quæ pro vel contra imagines acta fuissent. At S. Patriarcha exilium prætulit.

## §. XLIV.

*Michaelis Imperatoris mores.*

**M**ichael natus erat Amorii in Phrygia superiore, in qua Provincia nunquam non nidulabantur plurimi Judæi & Athingani, quoddam genus Hæreticorum, qui iidem esse dicuntur ac veteres Melchisedeciani, & quorum posteri vagabundi nostri Cingari feruntur. Vidimus tamen nomen Athinganorum etiam Paulicianis seu Manichæis Armeniæ datum fuisse. Ex his duabus Sectis nempe Judæorum & Athinganorum conflata est tertia, cujus errores Michael Majorum suorum traditione acceperat. Illius Religionis homines Baptismum recipiebant, & Circumcisionem rejiciebant; cetera totam Legem Mosaicam servabant. Quilibet enim domi suæ Judaicæ Gentis virum vel mulierem habebat,

Sæculum IX.

A. C. 821.

v. S. Niceph.

c. 13. n. 83.

Script. post.

Theoph. p. 27

n. 3. Sup.

L. IV. n. 34.

Cang. Gloss.

Gr. Goar. ad

Theoph.

p. 413.

Sup. Lib.

XLV. §. 54.



Sæculum IX. bebat, quæ simul rebus domesticis & Ec-  
A. C. 821. clestasticis præerat. Ergo Michael in  
 turpi Secta enutritus vir rudis & rusti-  
 cus rei Litterariæ & Logicæ studium  
 contemnebat. Cum ipse vix litteras co-  
 gnosceret, pueros nec in libris veterum  
 Græcorum nec Christianorum erudiri  
 permittebat.

Michael Imperator, etiam postquam  
 Solium Cæsarum conscendisset, videri  
 cupiebat in nulla arte magis excellere,  
 quam ut scitissime internosceret mulos;  
 an ad equitandum, vel ad clitellas aptio-  
 res essent, ut primo obtutu equos cursui  
 vel pugnæ natos, juvenecas fœcundiores  
 & lactis abundantiores discerneret, &  
 cuique matri suum fœtum reddere no-  
 vissset. Quod ad Religionem spectat;  
 futuram Resurrectionem non credebat,  
 dicebatque, nullum dari Diabolum, cum  
 Moyse nullibi de eo fecisset mentio-  
 nem, fornicationem esse rem licitam,  
 Pascha congruo tempore non celebrari,  
 & in Sabbato, quamvis id mori Græco-  
 rum adversaretur, esse jejunandum. Pro-  
 phetas proscindebat, Judam affirmabat  
 esse salvatum, & nullum aliud juramen-  
 tum quam per Summum Deum recipie-  
 bat.



## §. XLV.

Sæculum IX.  
A. C. 821.*Michael Catholicos persequitur.*

Quamquam vero Imperator initio animum simulasset non uni magis par-  
 ti quam alteri faventem, brevi tamen po-  
 stea odium prodidit in Catholicos præ-  
 fertim in Monachos, quos spernebat, &  
 exquisitis torquebat suppliciis. Metho-  
 dium Roma reducem, ut diximus, &  
 Fidem Catholicam Constantinopoli li-  
 bere docentem Imperator accusat, quod  
 turbas crearet & scandalum, jubetque  
 septingentis verberibus castigari. Ni-  
 hil propius fuit, quam ut sub percutien-  
 tium manibus expiraret. Ita languidum  
 primo in carcerem mittit, & deinde in  
 Insulam S. Andreae prope Acridam relegat;  
 ubi solus cum homine agresti, seditionis  
 reo in sepulchro angusto & tenebroso  
 includitur. Iconoclastis autem sæpe  
 suggerentibus, eum confestim ex hor-  
 rendo carcere dimittendum, si Jesu Chri-  
 sti imaginem proculcare vellet, virili  
 constantia semper respondit, malle se  
 mortem subire, quam ejusmodi cogita-  
 tioni locum dare. Itaque toto quo Mi-  
 chael imperavit tempore ibi captivus  
 permansit.

Euthymius quoque Episcopus Sar-  
 densis jubente Michaeli Constantinopo-  
 li pulsus, quod Cultum Imaginum da-  
 mnare

Post. Theop.

p. 31. vit.

Meth. c. 1. ap.

Boll. 14.

Jun. to. 21.

p. 963.



Sæculum IX.  
A. C. 821.

Sup. n. 33.  
vit. 26. Dec.  
c. 9.

II. ep. 121.

mnare nollet. Porro eodem Michaelē mandante filius ipsius Theophilus eundem Sanctum Episcopum tamdiu bubulis cædi iussit, donec animam efflasset. Theodorum & Theophanem Jerosolymitanum, postquam cum ceteris exulibus a Michaelē revocatis Constantinopolim rediissent, multos Iconoclastas atque etiam viros in Dignitate constitutos suis sermonibus & scriptis ad veram fidem convertentes æquo animo non tulit Johannes Leconomanta, qui in carcerem detrudi iussos adiit, & cum iis de Doctrina Catholica disputare cœpit; at cum facile victus recessisset, apud Imperatorem effecit, ut Constantinopoli pellerentur. Inter hæc Theodorus Studita responso accepto a Thoma Jerosolymitano Patriarcha rescripsit, & gratias egit. Præterea queritur in illa Epistola, aliquos non rescripsisse, & hoc solatio Catholicos privasse. His verbis Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum perstringere videtur. Ex iis vero, quæ subjungit Theodorus, videmus, ipsum hanc Epistolam scripsisse, priusquam Imperator bellum imaginibus aperte dixisset. Nam, *byems transiit*, inquit, *sed ver necdum advenit*. Vult dicere, Ecclesiam necdum pace frui, quamvis cessaverit persecutio. *Inde factum*, inquit, *quod post acceptas Epistolas vestras*



*stras eleemosynæ admodum modicæ collectæ sint. Non enim nobis fuit colligendi facultas in diversis locis commorantibus, & procul ab urbe Constantinopolitana positis. Sed nec modo omnia, ut voluissimus, collecta, nisi ea, quæ ex adjuncto indice cognoscetis. Illi autem, qui de suis largiti sunt aliqua, ipsi beneficium accepisse putant, dum ipsis honor obtigit cum Sanctis locis communicandi.*

Sæculum IX.  
A. C. 821.

Leone Armeno e vivis sublato plures præterea Theodorus scripsit Epistolas, in quibus Regulas tradit, qua ratione in illa persecutione lapsi recipiendi sint. Dicit, Episcopi, qui post lapsum non abdicat Episcopatum, non esse sinceram pœnitentiam. Item illum vere communicare cum Hæreticis, qui stipendium ab ipsis acciperet. Illud vero arbitratur, Episcopum post pœnitentiam peractam restitutum posse ad mensam Benedictionem pronunciare.

II. ep. 119.

II. ep. 139.

### §. XLVI.

#### *Ludovici Imperatoris pœnitentia.*

In Occidente Ludovicus Imperator jam anno octingentesimo vigesimo primo in Comitibus Theodonis Villæ conjurationis Bernardi Regis Italiæ conscios ab exilio revocaverat. Omnibus in conspectum admissis veniam se dare dixit, &

Sup. n. 35.

Eginh. n. 821

Bona



Sæculum IX. Bona adempta reddidit. Theodulfus Episcopus Aurelianensis cum ceteris reis in exilium ejectus, quamvis semper insontem se damnari affirmaverit, ad Ecclesiam suam dimittitur, & in itinere a

morte occupatur. Præter ejus Capitulare & Tractatum de Baptismo habemus ab ipso plura carmina in sex libros collecta, ceteris cunctis illius ævi meliora. Natus autem erat Theodulfus ultra Alpes. Inter alia celeberrimus est Hymnus, cujus initium: *Gloria laus & honor &c.* quem in laudem Civitatis Andegavensis (hic enim ipsi erat locus exilii) concinnavit. Ejusdem Hymni initium hodieque, cum in supplicatione Dominica Palmarum procedimus, cantatur. Theodulfo in Sede Aurelianensi Jonas successit. Eodem tempore Ludovicus Imperator Adalhardum & fratres ejus Valam & Bernarium ab exilio revocavit, atque Adalhardum, cujus desiderio ingenti Monachi tenebantur, compulit ad Regimen denuo capeffendum Abbatiaæ suæ Corbejenfis. Verum haud diu post ad Regiam eundem revocavit.

*Egin. ibid. Sup. n. 10.*

Anno sequente octingentesimo vigesimo secundo Ludovicus Comitiam Attinaciam celebrans, ex Episcoporum & Procerum consilio tribus fratribus suis junioribus Hugoni, Drogoni, & Theodorico, quos



quos invitos tonsurari jusserat, reconciliatus est. Publice confessus est hoc factum, illudque, quod nimio rigore in Nepotem suum Bernardum Regem Italiæ, Adalhardum Abbatem & Valam fratrem ejus usus fuisset; egit pœnitentiam publicam, exemplum Theodosii Imperatoris imitari cupiens. Omnia vel a se vel a parente suo contra æquitatem facta emendare studuit; in quem finem largissime eleemosynas distribuit, multas preces a viris Deo consecratis fundi jussit, ut Cælum sibi omnino propitium haberet.

In illo Conventu cum Ludovicus Imperator edixisset, teneri se magno desiderio omnes abusus, qui Episcoporum & Optimatum negligentia invaluissent, abolendi, viri præcipui voluntatem Principis summis laudibus extulerunt, & Abbas Adalhardus ob ætatem provecctam venerabilis dixit, non meminisse se, a temporibus Pipini Regis unquam dignius de utilitate communi fuisse tractatum, si modo ea, quæ statuerentur, Subditorum obedientia ad effectum deduceret. Agobardus tunc Sedem Archiepiscopalem Lugdunensem tenebat; nam successerat Leidrado, qui sub initium Regni Ludovici Imperatoris in quoddam Monasterium Civitatis Sueffionensis se receperat. Agobardus antea fuerat Chor-

Sæculum IX.

A.C. 822.

Sup. Lib.

XIX. §. 21.

Agob. de

disp. c. 2.

Ado Chr.

episco-



Sæculum IX. episcopus Ecclesiæ Lugdunensis, atque  
A. C. 822. consentiente Imperatore & omnibus  
 Galliarum Episcopis ordinatus est ejus-  
 dem Ecclesiæ Episcopus. Hic itaque in  
 Conventu Attiniacensi præsens, & co-  
 ram Imperatore contra Laicos Bona Ec-  
 clesiarum invadentes strenue perorans  
 dicebat; illos in ipsum Deum peccare,  
 qui Canones violarent, & perperam ex-  
 cogitari novas necessitatis causas, quas  
 utique prævidisset Deus, quando Eccle-  
 siæ suæ inspiravit, statuendas esse has Re-  
 gulas æternum servandas.

## §. XLVII.

*Electio Episcoporum.*

*Capit. l. i.*

*c. 83.*

*Capit. Ba-*  
*luz. to. i p.*

*563. to. 7.*

*Conc. p. 147.*  
*v. Coint. an.*

*822. n. 12.*

*&c.*

Satis exploratum est, in his Comitibus  
 Attiniacensibus editum fuisse Capitu-  
 lare, nec a vero abludit, illud ipsum esse,  
 quod complectens articulos viginti no-  
 vem plerumque ad annum octingentesi-  
 mum decimum sextum refertur. Arti-  
 culi secundi tenor est: *Quoniam Sacros*  
*Canones non ignoramus, & volumus Ec-*  
*clesiam sua libertate gaudere, concedi-*  
*mus, ut Episcopus, qui tantum bono-*  
*rem mereatur, & idoneus ad onus fe-*  
*rendum sit, a Clericis & populo, ex*  
*illa ipsa Diœcesi, gratis, & sine acce-*  
*ptione personarum eligatur.*

In aliquibus hujus Historiæ locis vi-  
 dimus, quantum Electiones Episcopo-  
 rum



rum a potestate Sæculari turbatæ fue- Sæculum IX.  
 rint, ex quo Franci aliique Barbari domi- A. C. 822.  
 nari cœperunt. Primus vero omnium  
 Ludovicus Imperator edito hoc Decre- *Sirm. Præf.*  
 to plenissimam libertatem Ecclesiæ red- *to 8. Conc.*  
 didit. Ad eadem tempora refertur *p. 1860.*  
 Tractatus exiguus de Electione Episco-  
 porum a Floro Ecclesiæ Lugdunensis  
 Diacono scriptus. *Secundum Canones,*  
 inquit ille, *& Traditionem Apostoli-* *Post. Agob.*  
*cam, Sede vacante, aliquis ex Clericis* *to. 2. p. 254.*  
*ejusdem Ecclesiæ unanimi Clericorum*  
*& populi consensu eligendus est. Is in*  
*Decreto authentico nominatur, & ab*  
*Episcopis numero legitimo præsentibus*  
*consecratur, quæ Ordinatio tanquam*  
*Divinum Judicium, ut edixit S. Cy-*  
*prianus, habetur.* Constat, Episcopos  
 in tota Ecclesia hoc modo fuisse ordina-  
 tos per annos prope quadringentos, Prin-  
 cipum Sæcularium consensu nullatenus  
 requisito. Postquam vero Principes  
 Christianam Religionem susceperunt, e-  
 tiam scimus, Ordinationes Episcoporum  
 fuisse plerumque liberas; cum enim u-  
 nicus fuit Imperator, res erat impossi-  
 bilis, ut omnium Episcoporum in vastis-  
 simis regionibus Asiæ, Europæ & Afri-  
 cæ, ordinandorum cognitionem cape-  
 ret.

Quod spectat ad consuetudinem po-  
 sterioribus temporibus in quibusdam Re-

*Hist. Ecclesiast. Tom. XI. K gnis*



Sæculum IX.  
A.C. 822.

gnis natam consulendi voluntatem Principum, antequam ordinentur Episcopi, id expedit ad quietem & pacem inter Potestatem Sæcularem & Spiritualem conservandam; sed non est conditio necessaria ad legitimam ordinationem, quæ non est pars potestatis Regiæ, quia a Dei mandato & Ecclesiæ consensu proficiscitur. Episcopatus non hominum sed Spiritus Sancti Donum est. Inde graviter peccat Princeps, si suum beneficium putat, quod sola Divina Gratia confert. Florus deinde Ordinationem S. Martini & S. Eucherii Lugdunensis in exemplum & dictorum suorum testimonium affert.

§. XLVIII.

*Alia Statuta.*

c. 34. Imperator in eodem Capitulari confirmat Regulas Canonicorum & Monachorum Aquisgrani conditas. Tum plures abusus in Disciplina Ecclesiastica emendat.

c. 6. Servi non ordinentur nisi prius a Dominis suis manumissi. Qui subreptitie fuerint ordinati, deponantur. Servi Ecclesiæ publice in cornu Altaris manumittantur, priusquam ordinentur, si tanto honore digni habeantur.

c. 16. Episcopi Longobardiæ non exigant juramentum, nec dona ab illis, quos ordinant; uti facere



cere solebant. Inde dispicimus, istud *Sæculum IX.*  
 Capitulare non nisi post fata Bernardi *A. C. 822.*  
 editum fuisse, cum prius Imperatori Lu-  
 dovico in Longobardiam Jurisdictio non  
 fuerit. (\*) Per Crucis examen in ve- *c. 27.*  
 ritatem alicujus facti non inquiratur.  
 Alibi dixi, quid rei istud examen fuerit.  
 Nempe ambæ partes adversæ tamdiu  
 coram Cruce stantes perseverabant, do-  
 nec qui prior in terram procumberet, e-  
 tiam causa caderet.

De his agit Agobardus in Disserta- *c. 1. to. 1.*  
 tione sua contra sortem, quam appella- *p. 301.*  
 bant Dei Judicium, id est, experimen-  
 tum ignis & aquæ, & duella legibus Bur-  
 gundiorum tolerata.

Ostendit, Deum vere tentari, quan- *Hincm. de*  
 do hujusmodi superstitiones ad indagand- *divort. to. 1.*  
 dam veritatem adhibentur, & affert plu- *p. 574.*  
 rimos Textus selectos hac super re tam  
 ex novo quam ex veteri Testamento.  
 Præcipue autem contra Duelli malitiam  
 in hoc Scripto pugnat.

In eodem Concilio Attiniacensi Lu-  
 dovicus querelas cujusdam fœminæ no-  
 bilis,

K 2

(\*) Nempe de Electione Episcoporum in  
 Longobardia Ludovico pio cura non erat. Ju-  
 risdictionem vero supremam etiam in Longo-  
 bardiam a Carolo Magno parente suo accepit,  
 & exercuit, cum hunc ipsum Bernardum rebel-  
 lem punivit.



**Sæculum IX.** bilis, nomine Northildis, contra Agem-  
**A. C. 822.** bertum maritum suum totius Conven-  
 tus arbitrio reliquisse creditur, & Epis-  
 copos idem iudicium remisisse ad viros  
 Laicos uxores habentes, illarum rerum  
 & legum sæcularium se magis gnaros,  
 iussisse etiam, ut mulier eorum Senten-  
 tiæ se submitteret; porro si rea esset, &  
 pœnitentiam peteret, eam Episcopi se-  
 cundum Canones eidem injungerent.  
 Optimatibus Laicis maximopere placuit  
 hæc discretio Episcoporum, qui ipsis po-  
 testatem de causis uxorum suarum de-  
 cernendi, non subtrahebant, & Jurisdi-  
 ctionem Sæcularem non invadebant.

*Astron. an.*  
817.

Canones  
Concilii At-  
tiniacensis.

Cap. to. 1.  
p. 626. to. 7.  
Conc. p. 1519

Brevi post tempore apparuit, Ludo-  
 vici Imperatoris curam de reformandis  
 Clericorum moribus non omni fructu  
 caruisse, cum Episcopi & Clerici baltea  
 auro fulgentia, e quibus pugiones gem-  
 mis distincti pendebant, calcaria & ve-  
 stimenta pretiosa, quibus Laicorum lu-  
 xum imitabantur, abjecerunt.

Haud multo elapso tempore a Comi-  
 tiis Attiniacensibus Ludovicus Impera-  
 tor, agens Tribure prope Moguntiam  
 confirmavit quinque Articulos ab Epis-  
 copis anno superiore in Concilio Theo-  
 donis Villæ pro securitate Virorum Ec-  
 clesiasticorum editos. Huic Concilio  
 Theodonis villæ celebrato anno octin-  
 gentesimo vigesimo primo interfuere E-  
 piscopi



piscope triginta duo, ex quibus quatuor <sup>Sæculum IX.</sup>  
 Dignitate Metropolitana eminebant, ni- <sup>A.C. 822.</sup>  
 mirum Aistulfus Moguntinus, Hildebal-  
 dus Coloniensis, Hetto Trevirensis, &  
 Ebbo Rhemensis. Reliqui Galliæ & Ger-  
 maniaë Episcopi Legatos miserant. An-  
 sam ad condendos illos Canones præ-  
 buit cædes Episcopi cujusdam nomine  
 Joannis in Vasconia sævitia turpissima &  
 inaudita interfecti. Ergo in illis Arti- <sup>c. 1.</sup>  
 culis decernitur: Si quis Subdiaconum  
 vulneraverit, quinque Quadragesimas  
 pœniteat, trecentos solidos Episcopo  
 pendat, præter pecuniam ex Lege vul-  
 nerato pactam. Si Subdiaconus ex vul-  
 nere mortuus fuerit, percussor quinque  
 annos integros pœniteat, solidos qua-  
 dringentos, & pactam pecuniam in tri-  
 plum solvat. Solidi illius temporis qua- <sup>Le Blanc.</sup>  
 draginta solidis nostris, id est, duabus <sup>mon. p. 96.</sup>  
 libris, ut usus fert, æquivaiebant. Ser-  
 vata proportione injuriæ Diaconis aut <sup>c. 3.</sup>  
 Presbyteris illatæ puniuntur, & interfe-  
 ctor duodecim annis pœnitentiæ atque  
 nongentis solidis mulctæ nomine da-  
 mnatur. Ille vero, qui Episcopo insi-  
 diatus eundem occiderit, carnem non  
 comedat, vinum non bibat cunctis die-  
 bus vitæ suæ, cingulum militare depo-  
 nat, absque spe conjugii in perpetuum  
 maneat. Hujus Decreti Confirmatio-  
 nem ab Imperatore & Proceribus pete-



Sæculum IX. bant Episcopi, quia homicidas ad solven-  
 A. C. 822. das multas pecuniarias a potestate sæ-  
                    culari compelli oportebat.

Id igitur ipsis anno octingentesimo vigesimo secundo concessum, tuncque iidem Articuli, quantum spectat ad multas pecuniarias sine mentione poenitentiae Canonicae, renovati. Et addidit Imperator: *Si quis huic Decreto non obediat, non tantum Sententiae Canonicae subjaceat, sed etiam Beneficium (id est Feudum) in Regno nostro tenere non possit, & ejus Allodialia (id est Bona propria) Fisco nostro addicantur. In carcere detineatur, usque dum Ecclesiae praecipis satisfecerit.* Proceribus hoc Decretum approbantibus, & subscribentibus, Ecclesiastici Hymno *Te Deum Laudamus &c.* decantato Deo Gratias egerunt.

## §. XLIX.

*Rabani initia.*

*Mabill. Act.*  
*to. 6. p. 20.*

Sancto Eigilo Abbate Fuldensi fatis functo successit Rabanus, natus Moguntiae anno circiter septingentesimo septuagesimo sexto, a prima aetate Monasterii Fuldensis Alumnus. Anno octingentesimo primo Diaconus ordinatur, & anno sequente ab Abbate suo cum alio Monacho, nomine Hattone, Turonem mittitur, ut liberalibus Disciplinis & Scri-



Scripturæ scientia imbueretur Præcepto- Sæculum IX:  
A.C. 822.  
re Alcuino, qui Rabanum cognomento

Maurum appellavit pro more virorum eruditorum illius ætatis, nomini suo barbaro nomen latinum conjungentium. Rabanus Turone redux præfuit Scholæ Fuldensi illo ævo celebratissimæ. Bibliothecam locupletem habebat Schola illa, ex qua Doctores celebres in totum orbem Christianum prodierunt; nam inter Rabani Discipulos memoratu digniores sunt Walafridus Strabus, postea Abbas Augiæ divitis, Lupus, postea Abbas Ferrariensis, Rudolphus, qui Magistri sui vitam scripsit, Odfridus Presbyter & Monachus Weissenburgensis prope Spiram, qui Evangelia in Linguam Teutonicam transtulit. Rabanus Presbyter ordinatus anno octingentesimo decimo quarto factus est particeps persecutionis, quam Monachi Fuldenses sub aspero Abbate Ratgaro passi sunt, quippe ille, quod erat Rabano carissimum, nempe libros, subtraxit & commentarios ab ipso conscriptos ad juvandam memoriam & ea quæ a Magistris audierat, facilius retinenda. Inter illas turbas profectionem ad Terram Sanctam suscepisse creditur. Pace sub Abbate Eigilo redeunte, Rabanus iterum munus docendi subiit. Tum Eigilo defuncto Abbas Fuldenfis eligitur, quod Monasterium



Sæculum IX. annos viginti rexit. Tunc illa Congregatio centum quinquaginta Monachos numerabat, nec alio unquam tempore magis floruit. Rabanus maxima sollicitudine Regularem Disciplinam custodivit, plures ædificavit Ecclesias, & magnam Reliquiarum vim Roma afferri curavit, quod tanti momenti res visa est, ut Rudolphus nihil ferme aliud in ejus vita enarret. Rabanum Reges & Imperatores maximi æstimarunt, unde factum, quod rem œconomicam Monasterii plurimum auxerit. Tandem litterarum studia egregie coluit, & Abbas electus aliis quidem, uti Candido Monacho, provinciam docendi artes liberales injunxit, at munus explicandi Sacram Scripturam sibi reservavit.

## §. L.

*Corbeja nova fundatur.*

Corbeja nova quoque illo circiter tempore in Saxonia fundata multorum magnorum Virorum & Sanctorum Episcoporum Seminarium fuit. Caroli Magni perspicacitatem non effugerat, ad Religionem Christianam in illa provincia bello subacta stabiliendam necessario fundanda esse Monasteria, atque eo consilio multos de Gente Saxonum adulescentes in plures Abbatias Franciæ miserat sub Disciplina Regulari educandos, præser-



præsertim Corbejam sub Abbate Adal-  
 hardo, qui originem e Saxonia, forte  
 per matrem suam, ducebat. Is non i-  
 gnarus, quid optaret Rex, cui a confi-  
 liis erat, Saxones suæ curæ commissos  
 interrogavit, an in illorum patria inve-  
 niri posset locus, exstruendo Monasterio  
 aptus. Aliquis eorum, nomine Theo-  
 drudus, respondet, scire se hujusmodi  
 locum in prædio patris sui, & confestim  
 illuc mittitur, ut exploraret, num in hanc  
 rem ipsius parentes consentirent. Inde  
 reversus retulit, id ipsum eis in votis esse.  
 Volvebatur annus octingentesimus deci-  
 mus tertius Carolo Magno in vivis agen-  
 te. Ipso defuncto, & Adalhardo senio-  
 re in Monasterium Nigrum, vulgo *Noir-  
 montiers*, relegato, Adalhardus junior  
 tunc Abbas Corbejensis, communicato  
 cum Wala, qui illo se receperat, confi-  
 lio, rursus ad fundandum in Saxonia  
 Monasterium mentem adjecit, tota sua  
 Congregatione consentiente. Visum  
 est Abbati, exposcendum esse consensum  
 Ludovici Imperatoris, quem cum Pader-  
 bornæ anno octingentesimo decimo  
 quinto Comitibus celebrantem ea ex cau-  
 sa adiisset, ille magna lætitia propositum  
 approbavit. Tum etiam consensus Ha-  
 tumari Episcopi Paderbornensis, in cujus  
 Diœcesi locus ædificandi Monasterii si-  
 tus erat, expetitus.

Sæculum IX.

A. C. 822.

Transl. S.Vit. n. 5. to. 5.Art. p. 259.Mabil. to. 5.p. 306. n. 2.

Sup. n. 10.

K 5

Ergo



Sæculum IX.

A. C. 822.Corbeja No-  
va.*Vit. Val. c. 5.*

c. 16.

Ergo manum operi admovent, & sex annis tenuit labor. Cum autem tam sterilis esset locus, ut Fratribus nec annona nec vestimenta suppeterent, omnino Adalhardus Abbas ex Corbeja veteri eis transmittersse cogebatur. Crescebat tamen in dies illa familia, ex nobilissimis Saxonum stirpibus nati illuc confluebant, pueri magnæ spei ibi alebantur, omnes illi domui favebant.

Interim Adalhardus Senior Corbeja restitutus, comperto, quam pauper esset novellum Monasterium, promptissime pecunias mittit & mandata, ubicunque possent, alimenta & pecora commendandi. Impetrata deinde ab Imperatore licentia quærendi alium locum, ipsemet cum Fratre suo Wala Saxoniam petiit. Wala olim imperante Carolo Magno illius Provinciæ Rector, exercitiis præfuerat, & multis Beneficiis Saxonum animos sibi devinxerat. Itaque conspicientes eum habitu Monachali incedentem vix satis oculis suis credebant ipsum Walam esse, carissimum antea Ducem. Confertim circumstant lætitia, amore & admiratione stupentes; nec Adalhardo Abbati, nec sociis ejus aures dare vacabat. Monachi vero Adalhardo & Walæ locum ad ripam Visurgis ostenderunt, quo transferre Monasterium ex Consilio Episcoporum & Nobilium illius



illius Regionis statutum. Illuc sexta <sup>Sæculum IX.</sup>  
 Augusti anno octingentesimo vigesimo <sup>A. C. 822.</sup>  
 secundo reversi, postquam circuivissent  
 locum, in terram prostrati Psalmos con-  
 venientes & Litanias decantant. Tum  
 fixis perticis & ductis funiculis primo  
 Ecclesiæ & deinde Cellarum Ichnogra-  
 phiam informant. Episcopum deinde  
 rogarunt, ut in loco extruendi Altaris  
 Crucem erigeret, & eum Corbejam  
 nuncuparet. Vigesima sexta Septem-  
 bris tota Congregatio eo migravit, &  
 celebrata est Missa. Hæc fuere novæ  
 Corbejæ, quæ hodieque sub nomine Cor-  
 wey floret, exordia. Ludovicus Impe-  
 rator S. Stephani Reliquias, ex Oratorio  
 suo depromptas novæ Ecclesiæ contulit,  
 unde illius Sancti nomen traxit. Vetus  
 autem Corbeja, agros, quos in Saxonia  
 possidebat, novellæ Congregationi do-  
 navit. Exstat adhuc hodie Diploma Lu-  
 dovici Imperatoris hanc Foundationem  
 confirmantis vigesima septima Julii, Re-  
 gni sui anno decimo, Indictione prima,  
 nempe anno octingentesimo vigesimo  
 tertio datum. Ceterum Corbeja nova  
 exinde Schola celebris & Seminarium ex-  
 titit, unde Fidei Prædicatores, non ad  
 Saxones modo sed etiam alios Septen-  
 trionis populos adhucdum infideles mit-  
 tendi, evocati sunt.

Sub



Sæculum IX.

A. C. 823.

Sub illud tempus, quo Corbeja fundata, Ebbo Archiepiscopus Rhemensis, consentiente Imperatore, Romam profectus est, petiturus licentiam prædicandi Fidem populis Septentrionalibus, præsertim Danis; hos enim in Aula sæpe viderat, eorumque cœcitas Episcopi zelum excitaverat. Concessit Paschalis Papa, quod postulabat, & pii laboris Socium Halitgarum Episcopum Cameraensem dedit. Itaque Ebbo sæpius in Daniam profectus, magnum convertit, baptizavitque Infidelium numerum; cui Prædicationi favens Imperator Ebboni donavit prædium, quod tunc Velanao, hodie *Wedel* dicitur, ultra Albim positum, ut in illarum Regionum vicinia receptaculum haberet.

§. L.

*Paschalis Papa accusatus.**Eginh. an.*  
823.

Inter hæc Ludovicus Imperator Lotharium filium primogenitum ad jus dicendum in Italiam miserat, cumque jam ad Patrem redire cogitaret, rogatus a Papa Romam petiit, ubi eum Pontifex in ipsa Paschali celebritate die quinta Aprilis anno octingentesimo vigesimo tertio Imperatorem coronavit. Lothario deinde in Franciam reverso ad Imperatorem Ludovicum defertur, Theodorum Ecclesiæ Romanæ Primicerium, & Leonem



nem Nomenclatorem ipsius generum in Sæculum IX.  
A. C. 823.  
 Palatio Patriarchali Lateranensi primum  
 oculis orbatos & postea decollatos fuisse, (\*) quod Lothario juveni Imperatori fideles permansissent. Non nulli vero Paschalem Papam accusabant, quod ipso Auctore, vel saltem consilium suggerente, patrata esset cædes. Ludovicus ut hanc causam accurate cognosceret, Adalungum Abbatem Monasterii S. Vedasti, & Humfridum Comitem Curientem Romam mittere parabat; his autem profectionem necdum exorsis, adfuerunt Paschalis Papæ Legati, Joannes Episcopus Silvæ candidæ, & Benedictus Archidiaconus Romanus, rogantes Imperatorem, ne fidem haberet dicentibus, Pontificem hujus cædis conscium fuisse, & curaret, ne Paschalis Papæ fama hac calumnia amplius læderetur. Nihilominus misit Legatos suos Imperator, quibus, cum Romam pervenissent, non patuit ad cognitionem facti via; nam Paschalis Papa coram Legatis & populo Romano in Basilica Lateranensi præsentibus Episcopis triginta quatuor, item Presbyteris

*Theg. c. 30.*

(\*) Non est obstupescendi locus, si Romæ ingentia facinora fuerint attentata. Nam Pontificum Principatus sæcularis adhucdum vacillabat, & longa erat via Roma Aquisgranum, unde expectanda fuit Judicis sententia.



Sæculum IX.  
A. C. 824.

*Astron. an.*  
223.

*Eginh. an.*  
824. *Anast.*  
*in Pasch.*  
*v. Papebr.*  
*Conat.*

teris & Diaconis ab interemptorum ne-  
ce Sacramento se purgavit. Interfecto-  
res exhibere noluit, quod ad familiam  
S. Petri pertinerent, affirmavitque, Theo-  
dorum & Leonem suo merito & ex æ-  
quo læsæ Majestatis reos fuisse jugula-  
tos. Ut de his Imperator plenius edo-  
ceretur, Papa in Franciam remisit eun-  
dem Joannem Episcopum, Sergium Bi-  
bliothecarium, Quirinum Subdiaconum,  
& Leonem Militiæ Magistrum, qui cum  
Imperatoris Legatis ad Regiam remea-  
runt. Ubi eos audivit Ludovicus, non  
credidit, ulterius in hujus cædis aucto-  
res esse inquirendum, utcunque cupiisset,  
sed indolem suam & mitissimum, quod  
a Natura acceperat, ingenium secutus  
acquievit.

§. LII.

*Paschalis Papæ obitus. Eugenius II.*

Paschalis Papæ Legati Romam rever-  
si graviter ægotantem habuerunt;  
nam paucis post diebus migravit ad Cœ-  
lum, nempe undecima Maji, anno octin-  
gentesimo vigesimo quarto, postquam  
sedisset annis septem, tribus mensibus &  
diebus septendecim. Duas celebravit  
Ordinationes, unam mense Decembri &  
alteram mense Martio. Multas Eccle-  
sias Romæ & in aliis locis reparavit &  
ornavit. Hospitium Anglorum casu for-

tuito



tuito concrematum restauravit, Hospi-  
 tium S. Peregrini prope Basilicam S. Pe-  
 tri a Leone III. erectum, & Monasterium  
 foeminarum SS. Martyrum Sergii & Ba-  
 chi reparavit, & facultatibus ditavit.  
 Inter ornamenta, quæ Ecclesiis obtulit,  
 duo memorantur, in quibus S. Virgo  
 corpore assumpta repræsentabatur. Un-  
 de dispicimus, Assumptionem jam illa  
 ætate Romæ a fidelibus creditam. Col-  
 lapsam Cathedram Pontificalem ad S.  
 Mariam Majorem extruxit, scalas fecit,  
 quibus ad eam ascenderetur, ut libere  
 Sacris operari & Ministris colloqui pos-  
 set, quin impedimento essent mulieres,  
 quæ haud procul stare solebant. Pa-  
 schalem Papam Ecclesia Romana inter  
 Sanctos decima quarta Maji colit.

Sæculum IX.  
 A.C. 824.

na 3103  
 or n 100  
 notis

Mart. Rom.  
 14. Maji.  
 Boll. t. 14.  
 p. 391.

Anast. in  
 Eug. Egink.  
 an. 824.

Schisma De-  
 cimium.

Sacra Sedes vacavit usque ad diem  
 Dominicam, quintam Junii, qua ordina-  
 tus est Eugenius secundus Archipres-  
 byter Titulo S. Sabinæ. Is Romæ natus  
 erat, Boemundi filius, quem humilitas  
 animi, simplicitas, Doctrina, munificen-  
 tia commendabant. Non tamen omni-  
 no sine turbis electus est, nam habebat  
 æmulum. (\*) Sed superavit Pars No-  
 bilium qui Eugenio favebant, seditque  
 annis tribus, & tribus ferme mensibus.  
 Illico

(\*) Zinzinus is erat, Romanus, Presbyter Ti-  
 tularis, id est, Cardinalis.



Sæculum IX. Illico mittitur Quirinus Subdiaconus, qui  
A. C. 824. Eugenii Ordinationem Ludovico Imperatori nunciaret. Is Lotharium filium suum iterum Romam mittere statuit, ut suo nomine cum novo Papa & Populo Romano necessaria Reipublicæ negotia componeret.

## §. LIII.

*Lotharius Romæ Jus dicit.*

*Coint. an.*  
 824. n. 10.  
*Astron.*

Lotharius in hoc itinere comitem habuit Hilduinum S. Dionysii Abbatem & Archicapellanium. Ubi Romam pervenit, convocata Concione conquestus est, quod ex illis, qui Imperatori parenti suo & Francis Fidem servassent, aliqui per nefas interfecti fuissent, & alii contemptui haberentur. Quæsit, cur querelæ contra Pontifices & Civitatis Romanæ Judices moverentur, & cum patuisset, multos fundos tum Judicum avaritia tum Paparum oscitantia inique fuisse Fisco addictos, præcepit, ut restituerentur. Consensit Eugenius Papa hilari animo, applaudente toto populo Romano.

Inter illos, qui Tribunal Lotharii adierunt, fuit Ingoaldus Abbas Farvensis ex Territorio Sabinorum. Is querebatur, quod oppressa Monasterii sui libertate Papæ tributum a se exegissent, & aliquos fundos vi adhibita eripuissent.



In accusationis hujus argumentum pro-  
tulit veteres litteras Regum Longobar-  
dorum, qui Monasterii sui tutelam in se  
susceperant; item Confirmationem Ca-  
roli Magni & Ludovici Filii ipsius, in qua  
prohibebatur, ne quicumque demum, Pa-  
pa, Episcopus, Dux, aut Optimatum a-  
liquis, huic Monasterio tributum impe-  
ret, aut quidquam de Bonis subtrahat.  
Lotharius Imperator, his litteris inspe-  
ctis, cum Proceribus tum Francis tum  
Romanis judicavit, earum auctoritatem  
oportere esse salvam, jussitque, nulla ex-  
cusatione admessa, ut Bona Monasterio  
Farvensi subtracta restituerentur.

Ut rata & firma essent hæc Decreta  
& futuris temporibus consuleretur, Lo-  
tharius edidit Constitutionem, in Basili-  
ca S. Petri promulgatam, quæ novem  
complectitur Articulos: *Nemo, nisi pe-*  
*riculum vitæ incurrere velit, illos læde-*  
*re audeat, quos Dominus Apostolicus vel*  
*nos speciatim defendendos susceperimus.*

*Decernimus, ut Domino Apostolico in*  
*omnibus justa servetur obedientia seu*  
*Ducibus & Judicibus ejus ad Justi-*  
*tiam administrandam. Deprædationes*  
*pristini temporis neque vivente Ponti-*  
*fice neque defuncto ullatenus tolerentur.*

*In Electione Romani Pontificis nullus*  
*sive Liber sive Servus aliquod impedi-*

*Hist. Eccles. Tom. XI. L men-*

Sæculum IX.

A. C. 824.

To. 2. Cap.

p. 18.

c. 1.

c. 2.



Sæculum IX. *mentum ponere præsumat. Sed illi solummodo Romani, quibus antiquitus Constitutione Sanctorum Patrum concessum est, sibi eligant Pontificem. Volumus etiam ut Delegati constituantur a Domino Apostolico & a nobis, qui singulis anni nobis deferant, qua ratione Duces & Judices Jus populo dicant, & nostra Constitutio servetur. Decernimus itaque, ut omnes clamores contra concordiam Ducum aut Judicum primum ad notitiam Domni Apostolici deferantur, ut statim aut ipse per suos Nuncios juvet, aut nobis indicet, quomodo remedium afferre valeamus. Volumus etiam ut omnes, sive ex Senatu sint sive ex populo, interrogentur, sub qua lege vivere velint, ut secundum eam legem, quam profitebuntur, Auctoritate Domni Pontificis & Nostra judicentur. Nimirum aliqui legibus Romanorum, alii Longobardorum vivebant. Postea in illa Constitutione legimus: Placuit etiam nobis, ut cuncti Duces & Judices, sive alii, qui ceteris præesse debent, in conspectum nostrum, dum Romæ sumus, veniant. Volumus enim & numerum & nomina scire, & singulos de ministerio sibi credito admonere. Tandem Auctoritatem Imperatoris Auctoritati Papæ conjunctam in hac Constitutione ubique videmus.*

cont. Paul.  
 Diac. Capit.  
 to. I. p. 647.



demus. Summa Imperatoris potestas in ea clare deprehenditur sicut etiam in formula juramenti, quod Lotharius a Romanis præstari præcepit, cujus summa talis erat: *Promitto, me fidelem fore Imperatoribus Ludovico & Lotbario, salva Fide quam Papæ promisi. Non consentiam, ut aliquis Papa, nisi Canonice eligatur, neque ut Papa electus consecretur, priusquam præsentem Mandatario Imperatoris ejusmodi juramentum, quale Eugenius Papa scripto edidit, pronunciaverit.*

Sæculum IX.

A. C. 824.

## §. LIV.

*Visio Wetini.*

Eodem anno octingentesimo vigesimo quarto e vivis excessit Wetinus seu Guetinus Monachus Augiæ divitis in Diœcesi Constantiensi, fuitque hujus viri obitus ex adjunctis plane singularibus memorabilis. Septem artibus liberalibus imbutus Magistri munus in illo Monasterio non sine laude obibat. Cum vigesima nona Octobris ægrotaret, lectulo se dedit, & somnio perterritus, rogavit sibi prælegi ultimum librum Dialogorum S. Gregorii, ubi plures mortuorum apparitiones refert, & de statu animæ post hanc vitam agit. Post

A. SS. B.

to. 5. p. 265.

L 2

hanc



**Sæculum IX.** hanc lectionem, cum se in lecto ad quietem collocasset, eidem dormienti adstare visus est Angelus, qui ei in viam amœnissimam deducto montes miræ pulchritudinis & altitudinis ostendit, quibus ingens & igneus fluuius circumfundebatur. In eo torquebantur plurimi homines, & aliqui etiam Wetino minime ignoti. Conspiciebat Episcopos & Presbyteros & mulieres, quibus cum peccaverant. Dixitque ad eum Angelus: *Plerique Episcopi avaritiâ laborant, Aulæ negotiis implicantur, fastu in vestibus & in epulis delectantur; ad Salutem animarum vilipendunt. Deliciis & voluptatibus immerguntur, unde indigni fiunt, qui pro aliis apud Deum intercedant. Cur enim tempore pestis & famis populos iuvare non potuerunt?*

*Ann. Eginh.*  
*n. 8.*

Anno superiore octingentesimo vigesimo tertio Franciam pestis exitialis, & anno octingentesimo vigesimo pestis simul & dira fames afflixerant. Inter illos, qui in hoc purgatorio cruciabantur, Wetinus agnovit quemdam Principem, olim Regem Italiæ & Romæ; quod vehementer mirabatur, fuerat enim ille vir maximus, & in hoc Sæculo Ecclesiam potentissime defenderat. Dixit ei Angelus; *Hunc Principem, quam*



vis præstitisset multa Deo gratissima, *Sæculum IX.*  
 quorum mercedem non esset amissurus, *A. C. 824.*  
 libidinem tamen non repressisse, & eo  
 vitio inquinatum longam vitam clau-  
 sisse. Quasivero istud fragilitatis huma-  
 næ peccatum fuisset, quod multitudi-  
 ne bonorum operum potuisset obtegi.  
 Nihilominus, subjunxit Angelus, *ad vi-*  
*tam cum electis prædestinatus est.* Du-  
 bio locus non superest, quin Princeps  
 iste sit Carolus Magnus; (\*) & quam-  
 vis hæc visio nihil supra somnium a na-  
 turali dispositione proveniens fuisse di-  
 ceretur, inde tamen dispicimus, quæ  
 opinio de Statu animæ ipsius, annis post  
 obitum ejus decem, viris piis fuerit.  
 Si credidissent, Carolum vitam posuisse  
 adulterio aut Concubinato illicito im-  
 plicitum, inferno dignum judicare de-  
 buissent; nunc vero cum eum in pur-  
 gatorium miserint, incontinentiam, cu-  
 jus ipsum arguebant, non fuisse le-  
 thalem culpam putaverint, necesse

L 3 est.

(\*) In Annalibus Benedictinis Auctore Ma-  
 billonio ad hunc annum Carolus & alii absolu-  
 te nominantur: *Ubi Sacerdotes, Monachos,*  
*Waldonem Abbatem, Adalhelmum Episcopum,*  
*Carolus Imperatorem piacularibus tormen-*  
*tis addictos conspexit, Comitesque non pau-*  
*cos &c.*



Sæculum IX. est. (\*) Inde autem incontinentiam suspicabantur, quod diversis temporibus novem habuisset uxores, iisque etiam in senectute abstinere non potuisset. Si enim ad secundas & tertias nuptias transire fragilitas credebatur, ob quam pœnitentia, integris annis duratura, secundum S. Basilium injungebatur, certe octavas & nonas inire peccatum veniale haberi poterat. Vide, quæ Theodorus Studita, illo ævo quo Carolus Magnus in vivis agens, de his scripserit.

A. C. 824.

Sup. n. 9.

Ad Amphil.

c. 4. 24. 50.

53. 80.

Sup. Lib.

XVII. §. 15.

I. ep. 50. inf.

L. XLVII.

Angelus deinde longe gratissimum Wetino spectaculum ostendit, nempe Beatorum Sedes, & certum fecit de Salute Geroldi, qui cum esset Comes Bavarix sub Carolo Magno multa Bona Monasterio Augiensi diviti contulerat, in bello contra Hunnos anno septingentesimo nonagesimo nono occisus. Post hæc ab Angelo Duce varia monita promissa.

(\*) Ita omnino judicare poterant pii viri ex verbis Angeli ad Wetinum dicentis, ut supra Carolum, *eo vitio inquinatum longam vitam clausisse*. Ceterum contingere potuisset (sed non dico ita contigisse) ut Carolus peccatum etiam grave in purgatorio lueret, nempe tale, cujus culpam quidem non autem omnem pœnitentiam, dum viveret, pœnitentia delevisset.



Monachis ei data, & inter alia ut ne-  
cessariis contenti viverent. Interro-  
ganti Wetino, ubi melius Instituti Mo-  
nastici Disciplina vigeret, Angelus re-  
spondit; eam in Regionibus transmari-  
nis magis florere, quia Monachi spiritum  
paupertatis ibi servarent.

Sæculum IX.  
A. C. 824.

Quod an de Orientalibus Monachis  
an de Britannicis intelligendum sit, in-  
certum. Ceterum docet nullum ma-  
gis ab hominibus horrendum esse cri-  
men, quam quod ipsi naturæ adverfa-  
tur.

Sibi demum redditus Wetinus,  
priusquam illuxisset, visa quantocius ce-  
ræ committi curavit, atque exacto bi-  
duo, ut prædixerat, ultimam clausit  
horam, etsi nullum morbi lethiferi de-  
prehenderetur indicium. Hæc visa  
Hetto Abbas senior ejusdem Monaste-  
rii prosa oratione litteris fidelissime  
mandavit, & anno sequente octingen-  
tesimo vigesimo quinto Walafrius Stra-  
bo ejusdem Congregationis Monachus  
tunc annos natus octodecim eadem  
metro reddidit. Nomina illorum &  
Caroli Magni, quos Wetinus in cru-  
ciatibus viderat, Acrostychis designa-  
vit.



Sæculum IX.  
A. C. 824.

§. LV.

*Capitulare Hettonis.*

*Act. 10. 5. p.*  
*273.*

*p. 274.*

Hetto seu Aiton, ab anno ætatis sue quinto Monasterii Augiensis Alumnus, Abbas electus est anno octingentesimo sexto in locum Waltonis, qui ad regendum Monasterium S. Dionysii in Francia vocatus fuerat. Anno sequente octingentesimo septimo Hetto ordinatur Episcopus Basileensis, retinens etiam Abbatiam Augiensem, (\*) & anno octingentesimo undecimo a Carolo Magno Legatione fungi ad Imperatorem Constantinopolitanum jubetur. Scripsit hujus itineris Commentarium, qui intercidit. Missi ab ipso fuerunt ad S. Benedictum Anianensem ex Monachis suis duo, qui conscriptas consuetudines Monasticas ibi observari solitas Augiam deferri curarunt, ut inquisitionem ex mandato Imperatoris a Monachis Regularibus (id est Reformatis) instituen-

(\*) Post hæc Abbatia Augiensis Episcopatu Constantiensi unita est, ita ut Abbatem Regularem non habeant. Augienses vero Monachi, varia Judicia tum in Curia Pontificia tum in Aula Cæsarea experti, his annis in alia Monasteria sparsi sunt, nova Colonia e diversis Monasteriis Benedictinorum advocata.



stituendam anteverterent. Hetto, cum <sup>Sæculum IX.</sup> anno octingentesimo vigesimo tertio <sup>A. C. 824.</sup> morbo tentaretur, captata occasione, munera Episcopi & Abbatis abdicavit, & in Monasterio sub obedientia Erlebal-  
di, sibi in Abbacia Augiensi suffecti, re-  
liquos vitæ dies exegit. <sup>p. 275.</sup>

Tempore quo Hetto Ecclesiæ Basile-  
ensi præerat, ad informandos Parochos  
suos edidit Capitulare viginti Articulo-  
rum, quod cum Constitutione Theodul-  
fi Aurelianensis affinitatem habet. In  
eo præcipit, primo discutiendam esse fi-  
dem Sacerdotum; quid ipsi credant, &  
quid aliis credendum proponant. Om-  
nes Orationem Dominicam & Symbo-  
lum Apostolorum, tam latine quam bar-  
bare (id est germanice) discant. Item  
Salutationibus Sacerdotalibus (id est  
quando Sacerdos dicit: Dominus vobis-  
cum, & alia in Missa similia) omnes re-  
spondere doceantur. Symbolum S. A-  
thanasii a Sacerdotibus discatur, & ex  
memoria Die Dominico ad primam re-  
citetur. Omnes Libros habeant sibi ne-  
cessarios, nimirum, Sacramentarium,  
Lectionarium, Antiphonarium, Compu-  
tum, † Canonem pœnitentialem, Psal-  
terium, & Homilias in omnes totius  
Anni dies festos & Dominicas. Quæ ho-  
die in tribus Voluminibus scilicet in Bre-  
viario,

to. 7. Conc. p.  
p. 1522. ex  
to. 6. Spicil.

c. 1.

c. 2.

c. 3.

c. 4.

† Calenda-  
rium.



Seculum IX. viario, Missali, & Rituali collecta habemus. A. C. 824. Olim uti adhucdum apud Græcos in pluribus dispersa erant.

Tempus legitimum baptizandi est Sabbatum Sanctum Paschæ, & Sabbatum Pentecostes, nisi superveniat necessitas. Trina autem fiat immerfio. Festa serventur sequentia, Natalis Domini, Festum S. Stephani, S. Joannis, Innocentium, Octava Natalis Domini, Theophania, Purificatio Sanctæ Virginis, Pascha cum Octava, Rogationes tribus diebus, (\*) Sabbatum & Dominica Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, maxime tamen SS. Petri & Pauli, qui Europæ sua prædicatione lucem attulerunt, Assumptionis S. Virginis, S. Michaelis, Dedicacionis cujuscunque Ecclesiæ & S. Patroni, quæ sunt Festa localia. Reliqua Festa veluti S. Remigii, S. Mauritii, S. Martini a zelo bono populi originem trahunt. Jejunia vel a Rege vel ab Episcopo indicta observentur. Sacerdotes non habeant canes, nec accipitres ad venandum. Mulieres, etiam Deo dicatæ, cujuscunque obsequii specie ad Altare non accedant.

(\*) In ipso Capitulari hic insertum est Festum Ascensionis Domini. Quod in Versione Gallica ex oscitantia omissum.



cedant. Si pallæ altaris lavandæ sunt, eas Clerici fœminis ad cancellos deferant, ubi etiam Presbyteri earum oblationes accipiant.

Sæculum IX.  
A. C. 824.

Nullus Clericus migret de sua Parochia ad aliam, nec ad limina Apostolorum orationis causa, nec ad Palatium causa interpellandi, sine scientia & consensu Episcopi sui. Fideles ad limina Beatorum Apostolorum pergere cupientes, domi confiteantur peccata sua, quia a proprio Episcopo suo aut Sacerdote ligandi aut solvendi sunt, non ab extraneo. Hic sub voce Episcopi extranei Papa sicut alii manifeste comprehenditur. (\*) Sacerdotes non diversa

c. 18.

c. 19.

fentiant

(\*) Hic exclamat P. Balduinus: Cela est bien hardi. Quanta audacia! Sed veritatem scribere Patri Balduino videtur facinus audacissimum. Interim constans est Regula, magis salutare esse Fidelibus (quando nulla obstant adjuncta) ut proprio Sacerdoti quam alteri peccata sua confiteantur.

Infert deinde P. Balduinus: *Ergo, si Fleurium audimus, Papa non est Pastor Ecclesiæ Universalis.* Et iterum, temeritatem esse non ferendam, Summo Pontifici detrahere velle Jurisdictionem universalem. At ista nullatenus sequuntur; nam nec Hettonis Episcopi nec Fleu-

ria



Sæculum IX. sentiant in judiciis pœnitentium, nec  
 A. C. 824. unus minus alter plus, uni adulando al-  
 teri detrahendo, placere velit.

6. 24.

Horas Canonicas tam nocturnas  
 quam diurnas nunquam prætermittant,  
 sed omnes psallant sicut in Ecclesia Ro-  
 mana psallitur. Hæc prima omnium  
 est, quam observo de obligatione reci-  
 tandi horas Constitutio.

## §. LVI.

*Concilia in Anglia.*

Sup. n. 25.

Sub illud tempus in Anglia duo Conci-  
 lia intra biennium *Clifi* seu Cloves-  
 hoæ a Wulfredo seu Wilfrido Archie-  
 piscopo Cantuariensi celebrata. Que-  
 nulfo Merciorum Rege, cujus supra me-  
 mini.

rii mens hic est, affirmare, Summum Pontificem  
 esse Episcopum extraneum in comparatione ad  
 Ecclesiam Universalem, sicut alii Episcopi sunt  
 (vel potius, ceteros Episcopos æquali cum Papa  
 in universali Ecclesia potestate gaudere; quan-  
 vis quilibet Episcopus in suo sensu sit totius  
 Ecclesiæ Catholicæ Episcopus, quales se etiam  
 Episcopi veteres in subscriptionibus dicebant)  
 sed utilius esse peregrinantibus, ut domi suo E-  
 piscopo vel Parocho confiteantur, quam Romæ,  
 præsertim quia sæpe ejusmodi Pœnitentes ad  
 devitandum Canonum rigorem Romam profi-  
 ciscebantur, & absolutionem obreptitæ vel sub-  
 reptitæ facile impetrare poterant.



minimus, anno octingentesimo vigesimo Saculum IX.  
 primo defuncto, postquam imperasset A. C. 824.  
 annis viginti quatuor, vacillavit Re- Vil. Mal-  
 gnum illud usque ad annum octingente- mesb. lib. 1.  
 simum septuagesimum quintum, quo pe- p. 33.  
 nitus cecidit. Ei successit Celulfus fra-  
 ter, quo pulso, rerum potitus est Ber-  
 nulfus sed non diutius quam triennio.  
 Ipso regnante habita sunt illa duo Con-  
 cilia, quibus interfuit. In primo anno to. 7. 1527.  
 octingentesimi vigesimi secundi Wul-  
 fredus Archiepiscopus querebatur, se a  
 Rege Quenulfo tam atrocem passum  
 persecutionem, ut annis ferme sex, ea,  
 quæ Muneris Episcopalis sunt, exerce-  
 re non potuisset, & Baptismus in tota An-  
 glia nemini fuisset collatus. His Archi-  
 episcopus addebat, Quenulfum Romam  
 misisse homines subornatos, qui se apud  
 Papam calumniarentur, & quadam die,  
 cum Londini esset, se in Regiam vocas-  
 se, & iussisse, ut illico ex Anglia migra-  
 ret, sine spe reditus, quem nec Papa  
 nec Imperatore aut quocunque demum  
 homine intercedentibus impetraturus  
 esset, nisi statim certos agros trecenta-  
 rum familiarum seu Colonorum ei ce-  
 deret, & præterea centum viginti libras  
 parata pecunia solveret. Itaque Archi-  
 episcopus tunc Regi obedire coactus est,  
 & mortuo Quenulfo Cynedrita Abba-  
 tissa



Sæculum IX. tiffa filia ipsius & hæres tenebat agre  
A C. 824. illos, quos vero ex decreto hujus Con-  
 cilio restituit. Alterum Concilium Clo-  
 veshoæ sub Archiepiscopo Wulfredo  
 anno octingentesimo vigesimo quarto In-  
 to.7. p.1555. dictione secunda celebratum. In eo  
 inter Hebertum Episcopum Vigornien-  
 sem & Monachos Bercleenses de Mo-  
 nasterio *Westburg*, quod Episcopo resti-  
 tutum, composita est. Hujus Concilii  
 Decreto trigesima Octobris dato Res  
 Bernulfus, Episcopi duodecim, Abbates  
 quatuor, Eugenii Papæ Legatus (\*)  
 & multi Proceres sub-  
 scripserunt.




---

(\*) In ipsis Actis post ultimum Ecclesiasticum  
 & ante primum Sæcularem subscripsit Papæ Le-  
 gatus in hunc modum: *Nothelm præco a Do-  
 mino Eugenio Papa.*

HISTO.